DANIELIS OTTONIS PHIL. & J.U.D. CONSILIAR. HOËNLOICI...

Daniel Otto, Giovanni Battista Coccini




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
13
24 G
21

DANIELIS OTTONIS

Phil. & J. U. D. Consiliar. Hoënloici.


DIALECTICÆ JURIS LIBRI DUO.


Bibl: Secr: Coll: Rom: Soc: Iesu

DISCITE IUSTICIAM MONITI ET NON TEMNERE DIVOS

IMPRESSI JENÆ,

Typis & sumpt. JOHANNIS BEITHMANNI, Anno 1620.





Meis verè Amicis,

Dn. JOHANNI GLOCKIO,
Hoënloico,
Dn. GEORGIO THOMÆ PRAIT-
SCHEDL, Palatino,
Dn, GEORGIO GUMPELTZHEIMERO,
Lyncensi, Austriaco,
LL. & CC. Candidatis,
S. P.



GRavis olim Socratis apud Platonem querela fuit, execrantis eos, qui primi ab honestate utilitatem sejunxissent: quod & hodiè mecum viri docti conqueruntur & execrantur, quòd ab honestis & liberalibus artibus utilitas tam miserè separata sit. Etenim quis est, qui verum Dialecticæ artis (ut cæteras silentio involvam) usum & exercitationem Analyseos & Geneseos in scriptis Oratorum,

Poëtarum, Philoſophorum, Theologorum, Jureconſultorum, Medicorum quærat, vel aliis demonſtrandam exiſtimet? Audiuntur quidem primis ſcholis, ubi ſternuntur fundamenta literarũ, Præceptores Dialectici, ſed qui contenti nuda præcepta explicare, de artis explicatæ uſu nunquam cogitant, quin ſępè in hoc genere exercitationis, ipſis diſcipulis (proh pudor!) ſunt rudiores: &, quod maximè dolendum eſt, alios, qui reſectis inutilibus præceptis, quibus adoleſcentum ingenia miſerè torquentur, nec rarò prorſus obruuntur, utiliora proponunt, ferre non poſſunt. Horum diſcipuli, præceptoribus non multùm abſimiles, cum ad Academias abeunt, præceptis Dialecticæ utcunq; cognitis, ac ſæpè etiam vix à limine ſalutatis, ad ſuperiores diſciplinas fortunâ ſæpè plus quàm Icarià convolant, & qui Jurium Studioſi titulo ſalutari gaudent, Vaſtum illum Ju-

ris Romani Oceanum auſu perquàm temerario ingrediuntur, Juſtinianum ſomniant, Baldum crepant, Jureconſultorum ampliſſimos Commentarios ſurſum deorſum, horſum illorſum volvunt. Quorum non pauci, qui cæteris plus ſapiunt, relictis JCtorum commentariis, ad Dialecticorum præcepta redeunt, Præceptorumq; ſuorum ſive negligentiam ſive inſcitiam graviter incuſant, ſubinde illud ingeminantes,

O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos.

Dialecticam autem quando addiſci volo, non quosvis Commentarios intelligo, qui ſcienti non multum proſunt, nec ignoranti nocent, ſed præcepta verè Logica, quæ quàm fieri poteſt, ſint pauciſſima, breviſſimaq;, eaque non Choerileis & abecedariis, ſed Homericis exemplis illuſtrentur. Nec artis Dialecticæ explicatione contenti ſimus, ſed explicatæ artis uſum in ſcriptis Poëta-

rum, Oratorum, JCtorum quæramus, inſtituamus, amplectamur. Ars ipſa imago picta tantùm eſt, quæ uſu & exercitatione eniteſcit, viget atque vivit, ſicut ferrum & æs uſu ſplendeſcit. Tantoq; magis Dialecticam artem exerceamus, quantò rationem, cujus illa eſt imago, cæteris omnibus rebus judicamus majorem atque excellentiorem. Equidem hujus beneficio, Deos immortales, nos ipſos, cæteraq; omnia cognoſcimus: hujus beneficio lapſu primorum parentum corrupta noſtra ratio in integrum quaſi reſtituitur: hujus deniq; beneficio omnium omninò rerum argumenta, puta cauſſas, effecta, ſubjecta, adjuncta, diſſentanea, comparata &c. invenimus, inventa diſponimus, deque diſpoſitis accuratè judicamus. Ego ſanè à primis adoleſcentiæ meæ annis ſingulare hoc Dei donum, omniumq; diſciplinarum Reginam naturæ quadam propenſione

præ

præ omnibus diſciplinis amavi, & colui, neq; tamen Ariſtotelem totum, vel Philippum ſolum ſectatus ſum, ſed Ramum, ſed Goclenium, ſed Keckermannum, Timplerum, ſed & alios perlegi, ratus, omnes in uno virtutes Logicas perfectas & abſolutas non reperiri. Et quamvis (fatendum enim eſt) in ea hæreſi fui, uſum artis Dialecticæ in commentariis tantùm & præceptis terminari, de quibus multum clamavi & diſputavi, tamen poſtquàm liberè & ſine ullo præjudicio Logicam P. Rami ſemel atq; iterum perlegi, oculos animi attollens, perniciosiſſimum errorem meum deprehendi, ac tùm demum mentis aciem per Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, Jureconſultos circumferens, quotidiè pleniorem & uberiorem hujus artis uſum percepi. Quare, cum & Ciceronis judicio, omniumq; doctorum Virorum ſententiâ Dialectica futuris JCtis, hoc eſt,

Reipubl. Principibus maximoperè ac inprimis ſit neceſſaria, ejus artis uſum exemplis Juſtinianeis, hoc eſt, Homericis illuſtrare volui, idque præcipuè unum elaboravi, ut hæc Dialectica mea præcepta tantùm neceſſaria & propria concinnè diſpoſita traderet, ut à Studioſis Juris & facilius ediſcerentur, & utilius exercerentur. Noverit autem benevolus Lector, in hoc ævo ob rationis humanæ corruptionem nullum opus perfectum dari, meq; etiam inter eos eſſe, qui errare, ſed & inter eos, qui corrigi poſſunt. Hoc igitur unicè peto, ut monſtratis erroribus utiliora ſubſtituantur, & veriora monſtrentur; modò id fiat modeſtè & candidè. Nec aliter faciunt candida & erecta ingenia. Cui autem hunc libellum potius offeram, quàm Vobis AMICI optimi. Vobis dedicavi prius, quàm ſcripſi, nec muto propoſitum, quin rogo, ut amicô animo hoc ſinceræ amicitiæ pignus

ſtrenæ

ſtrenæ loco accipiatis, Veſtrumque Ottonem, ut hactenus, ametis, qui vos æternùm. Valete & ſalvete Candida pectora. Waldenburgi I. Januarii, Anni 1620. quem Reipublicæ literariæ feliciſſimum precor.

Veſter

DANIEL OTTO, D.
Conſiliarius Hoënloicus.

DANIELIS OTTONIS D.
DIALECTICÆ JURIS
Liber primus, De Inventione,
Cap. I.
De definitione Dialectices.
Dialectica, est ars disserendi.

S*Icut Dialectica est ars*, *Scal.* exerc. 1. sect. 3. *hoc est*, *imago & speculum rationis*, *P. Ram.* lib. 2. schol. Dialect. c. 1. *ita æquitatis imago est Jurisprudentia. Dn.Vult.* in Inst. ad §.jurisprudentia. num. 1. de justitia & jure. *Unde à Celso definitur ars æqui & boni*, in l. 1. de just. & jure. *Ut igitur nullum in Dialectica præceptum ponendum, quod non ante in vera rationis idea fuit: ita in jurisprudentia nihil ponendum, quod non ante in vera æquitatis idea extitit. Dn. Vult.* in Idea juris Logic. pag.10. *Atq; hanc omnes non attentâ verborum subtilitate.* l. un.C.ut act. & ab hered. & contra hered. l.si tibi.20. de reb. cred.

cred. l. si quis. 36. §. fin. de V. O. *Vid. Nic. Vigel.* in Dial. juris, pag. 122. *inprimis v. JCtos, velut justitiæ sacerdotes* l. 1. de j. & j. *spectare decet. Sic enim Paulus* in l. 90. de R. J. *hi omnibus quidem, (ait) maximè tamen in jure æquitas spectanda est. In tantum, & licet Judex aliter judicare non debeat, quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.* in pr. Inst. de offic. judic. *neq; distinguere, ubi lex non distinguit.* l. in precio. 8. de public. in rem act. *si tamen evidens sit æquitas, leges possunt extendi, distingui, atq; adeò admitti exceptiones, replicationes, duplicationes, etiam verbis legis deficientibus.* l. 2. de Const. Princip. l. etsi nihil. 143. de R. J.

Cap. II.

De partibus Dialecticæ, deq; argumenti generibus, & affectionibus.

PArtes Dialecticæ duæ sunt; inventio & judicium: illa est directrix notionum mentis simplicium; hæc est directrix notionum mentis conjunctarum.

Sicuti duæ sunt operationes, seu functiones mentis, invenire & judicare, ita quoq; duæ non plures sunt constituendæ partes Dialecticæ, seu disciplinæ mentalis. Cicer. in Top. *Rud. Agric.* lib.

lib. 1. de invent. c. 2. *Phil. Melanth.* in pr. lib. 4. Dial. *P. Ram.* lib. 2. sch. Dial. c. 8. & lib. 1. Dial. c. 2. *ubi Interpp.*

Inventio occupatur circa thema, & argumentum.

Thema est id, quod ad differendum proponitur.

Estq; primò verum vel fictum.

Verum, quod reverà existit in rerum natura.

Ut, pater, filius, testamentum, servitus, actio, exceptio &c.

Fictum, quod reverà in rerum natura non existit.

Fictio est commentum juris civilis ad usum vitæ communis, contra naturam rerum, contraq; veritatem accommodatum. D. Althus. 1. J. R. 1. in fin. *Ut ingenuus etiam is fingitur, de quo sententia lata est, quod ingenuus sit, quamvis ingenuus revera non fuerit.* l. ingenuus. 25. de stat. hom. l. per. de collus. detegend. *Ita rei legatæ dominium sine traditione statim post mortem testatoris fictè ad legatarium transit. Althus.* 1. J. R. 18. *Et delictum attentatum habetur pro perfecto & adimpleto non ex veritate, sed fictione. Geil.* 1. p. p. 14. n. 29. *quâ de caussa mitiùs punitur affectus, quàm effectus. Geil.* d. lo. nu. 16. *præsertim in materia statutaria.*

taria. ibid.n.29. *Huc pertinet fictio juris postliminii, & Legis Corneliæ.* t. tit. de capt. & postl. revers.

Reg. I.

Facti nulla est fictio, Juris fictio esse potest.

Quippè factum & fictum contra distinguuntur, ac proinde uno posito, alterum tolli necessum est. Sit exemplum. Servitus est juris, exercitium verò servitutis est facti. Exercitium servitutis nullum est, nisi prædium ipsum in rerum natura existat: Sed servitus constitui etiam potest, ut maximè prædium nondum existat, ad hoc nimirum, ut si exstiturum est, ipsum serviat. D. Vulc. ad § 2. & 3. Inst. de servit. n. 5.

II.

Fictio in casu ficto tantum operatur, quantum veritas in casu vero.

Quia fictio imitatur naturam. §. minorem. Instit. de adopt. *hoc est, veritatem*, l. cum apud. 2. C. qui & advers. quos in integr. *Cujac.* 19. Obs. 33. in fin. *imò veritati prævalet.* l. 15. acquir. hered. *quando scil. in jure erratur, quo casu opinionem potiùs inspicimus, quàm veritatem; secus si in facto error sit commissus; tùm enim plus valet, quod est in veritate, quàm quod in opinione, seu fictione,* §. si quis rem. *& ibi Borch.* Inst. de legat. *Imitetur autem*

fictio

fictio naturam, non tamen superet, aut terminos suos excedat. Filii adoptati jura quidem filii sui habent. Angel. in l. penult. C. de adoptione. *sed sui filii non sunt, h. e. non sunt veri filii. Paul. de Cast.* in l. 2. in fin. C. si in fraud. cred. *quam ob caussam constitutio novella augens filiorum legitimam, non pertinet ad adoptivos.* §. 1. *ubi gloss.* in verb. quale. Auth. de hered. & Falcid. §. 1. *ubi gloss.* in verb. observando. Auth. de triente & semiss. *Bart.* in l. si arrogator. de adopt. *Et generaliter fictio nunquam fit in præjudicium juris, jam alteri quæsiti. Forster.* de success. ab intest. lib. 6. quæst. 24.

III.

Non entis nullæ sunt caussæ, nulla effecta, adjuncta &c.

L. ejus qui §. pen. de reb. condit. l. neque naturales. C. de probat. *Menoch.* consil. 76. n. 5. *Zabar.* consil. 139. col. 3. vers. quartò ad idem. *Nulla enim non enti cum ente conjunctio. Scal.* exerc. 327. s. 25. *nihilq; tam enti hostile, quàm non ens. Scalig.* exercit. 11. sect. 1. *Hinc dicitur, inanem esse actionem, quam excludit inopia debitoris. Oldend.* class. 3. act. 15. l. nam is. 6. de dol. mal. c. olim vobis. extr. de restit. spol. *& qui non habet, quod reddat, ejus periculo nihil est, inquit Ulp.* in l. itaq; fullo,

ut

ut de furtis. Da nichts ist / da verleurt der Keyser sein Recht. *Pius*, *teste Felino* in c. solitæ. de major. & obed. *dicere solitus fuit*, *se mirari miseros legistas disputari de validitate ejus* (*donationis Constantini*) *quod nunquam fuit. Quâ de vide Phil. Melancht.* in Chron. lib. 3. *Cujac.* lib. 1. respons. Papin. ad l. legatus. 20. de offic. Præsid. *Everh.* in top. in loco à verisimili. n. 15. & seqq. *Autorem disput.* de jure principat. th. 18. *Goth. Anton.* disput. feud. 2. th. 3. lit. a. *Anton. Coler.* in disput. de jure imperii Germ. th. 4. *servorum*, *quia pro nullis habentur*, l. servitutem. de R. J. *nulla est hæreditas*, l. 3. §. 1. de V. S. *si verò quid possident*, *seu habent jure peculii*, *id ad dominum jure proprietatis ac dominii pertinet*, *titulo nullo successionis universali*, *sed jure peculii ac proprietatis. Gœdd.* ad d. l. 3. §. 1. n. 18. *Huc etiam pertinet regula*: *Impossibilium nulla est obligatio.* l. impossibilium. 145. de R. J. *nullaq; actio* l. verum est. 31. d. tit. *Et quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.* l. quod nullius. 142. d. tit. *Hujus loci est etiam regula illa*: *Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.* l. ea quæ 177. de R. J. *Hinc denique est, ut id, quod nullum est, nec confirmari, nec tolli possit. Cacher.* decis. Pœdem. 34. n. 12. & decis.

decis.39.n.11.*Veluti manumissio in fraudem creditorum facta non opus habet rescissione, utpote contra leges facta. D. Vult.* in Inst. p.50.*quod enim contra leges fit, nullum est.* l. non dubium. §. 1. de LL. c. qui contra. de R. J. in 6. *& perindè habetur, ac si factum non esset*, l. quoties. qui satisd. cog. l. non putavit. §. non quævis. de bon. poss. contr. tab.

II. Thema est verbale vel reale.

Verbale est vox, quâ unumquodq; vocatur.

Etsi major & potior rerum sit habenda ratio, quàm verborum D.Gœd. ad rubric. tit. de V. S. in pr. *Hopper.* de element. jur. lib. 1. *cum verba rebus sint subjecta, non res verbis.* l. 2. in fin. C. Commun. de legat. c. intelligentia. de V. S. *tamen etiam verborum cura est habenda maxima. Scal.* ex. 1. S. 1. *non tantùm Dialecticis, quorum est nomina rebus imponere, & imposita rectè interpretari. Plato* in Cratyl. *sed & JCtis, Donell.* 1. Com. 16. *Ant. Fab.* in epist. Codic. Forens. decis. *Brisson.* in præfat. tit. de V. S. *qui verborum sunt observantissimi. Quintil.* lib. 5. Inst. Orat. c. fin. in fin. *quin ipsis Grammaticis peritiores. Cujac.* in l. 125. de V. S. *quod exemplis demonstrat Val. Guil. Förster.* lib. 1. Obs. c. 11. *Cum tamen de rebus ipsis constat, in verborum usu debemus esse faciles. Nimia enim verborum subtilitas crux est non minus, quàm*

sum-

summum jus, summa injuria. D. Gœdd. in l. 58. n. 5. de V. S.

Vox est certa, vel incerta.

Certa est, quæ rem unam distinctè significat.

Incerta, quæ significationem habet incertam.

Estq; ambigua vel obscura.

Ambigua, quæ multas res indistinctè significat.

Arist. 3. Metaph. 4. *Scal.* lib. 3. de cc. ll. p. 140. *Ex qua definitione constare potest, ambigua non esse aliquid unum, sed multa. Scal.* 4. de cc. ll. p. 206. *adeoq; communia rebus etiam differentibus definitione. Scal.* exerc. 307. f. 20. *Unde lex ambigua, seu plures intellectus habens non potest allegari ad decisionem caussarum. Everb.* in loc. à rubric. n. 7. & 9. *In dubio tamen illa sumenda interpretatio, quæ rei gerendæ aptior est.* l. quoties. 67. de R. J.

Obscura est, quæ rem obscurè significat.

Reg. I.

Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

L. 9. de rege jur. l. 34. in fin. eod. tit. *Hoc est, in re obscura & dubia benignior, humanior, & favorabilior sententia est amplectenda.* l. 8. de pact. l. 11. §. fin. de reb. dub. l. Titius. 24. in fin. de constit. pec. l. si ita scriptum. 13. in pr. de lib. & post. l. 55. de R. J. l. 128. eod. tit. l. 197. eod. l.

167.eod. l. 5. de pœn. l. 41. de R. J. l. 14. in fin. C. de fideicomm. libert.

II.

Voluntas magis, quàm verba inspici debent.

Verba enim intentioni servire debent, non contra. c. humanæ aures. 32. q. 5. *Nec jura vocabulis, sed vocabula juri subjiciuntur explicanda. Bald.* ad auth. defuncto. C. ad SC. Trebell. *Exemplum habetur* in l. 18. §. 3. de instruct. vel instr. leg. *ubi Pedius ait,* Optimum esse, non propriam verborum significationem scrutari: sed inprimis, quid testator demonstrare voluerit: deindè in qua præsumptione sunt, qui in quaquè regione commorantur. *Si tamen nulla in verbis sit ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio.* l. ille aut ille. §. 1. de leg. 3.

III.

Verba in propria significatione sunt accipienda.

Nec ab iis recedendum. l. non aliter. de leg. 3. l. nepos Proculo. 125. *& ibi Alciat.* n. 9. de V. S. *Cons. Marp.* 24. n. 50. & cons. 31. n. 24. vol. 1. *nisi indè absurdus intellectus resultaret. Rol. à Valle* cons. 82. n. 31. vol. 3. cons. 72. n. 24. vol. 1. *Tiber. Decian.* resp. 31. n. 83. vol. 1. *qui omninò vitandus.* l. nam absurdum. de oper. libert. c. injustum. 12. q. 2.

IV. Ver-

IV.

Verba secundum subjectam materiam sunt intelligenda.

L. stipulatio ista. 38. §. hi qui sunt. de V.O. l. quibus. 30. §. dominus. de condit. & dem. l. pen. in pr. de usu & habit. l. ex conducto. 15. §. Papinianus. locati. l. damni infecti. 43. in pr. de damn. in fact. *Everh.* in loc. legal. pag. 616. *Ita dicitur, stipulationem esse accipiendam pro natura contractus, in quo interposita est.* l. si eum. 10. §. qui injuriarum. si quis caut. in judic. sist. causs.

V.

Verba cum effectu sunt accipienda, ita ut aliquid operentur.

L. si quando. de leg. 1. l. nomen. 164. §. fin. de V.S. *Menoch.* cons. 63. n. 3. *Cravett.* cons. 105. n. 7. *etiam in materia stricta & odiosa.* *Cravett.* cons. 272. n. 7. & cons. 292. n. 2. *qualis est statutorum & privilegiorum, quæ ita sunt accipienda, ut aliquid operentur ultra, vel præter, aut contra jus commune.* *Bart.* in l. coram Titio. de V.S. *Cacheran.* consil. 53. n. 19. per l. generali. 32. §. 1. de usu & usufr. legat. *D. Vult.* cons. Marp. 35. n. 73. vol. 3. *Etiam in contractibus.* *Paris.* cons. 66. n. 9. vol. 2. *Joh. Petr. Surd.* cons. 325. n. 6. *D. Gœdd.* cons. Marp. 24. n. 49. vol. 1. *Sixtin.* cons. Marp. 18. n. 27. vol. 2.

idq; adeò verum est, ut impropriè & contra suam naturam hoc nomine sint accipienda. Joh. Cephal. conf.369. n.64. lib.3. *Gratus* conf.94. n.33. lib. 2. *Undè verba libelli impropriandæ sunt, ut libellus salvetur. Geil.* 1. O. 66. n. 7.

Thema reale est res, voce aliqua significata.

Reg.

Rerum intelligentia à verborum pendet.

Oportet (ait Scal.) prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo sæpè provebimur in rei perceptionem. exer.1. f.1. *Ratio regulæ est, quia verba sunt rerum notæ. Cicer.* in Topic. & in part. Orat. *Arist.* in lib. de interpr. c. 1. & 2. *Gœdd.* ad rubr. de V. S. *Scal.* lib. 4. Pœt. c. 85. & lib. 7. c.1. *pictura animi. Scal.* lib.3. Pœt.c.35. *caussa doctrinæ. Scal.* de cc. ll. pag.157. *instrumenta cognitionis.* ib.p.168. *& affectus animi. Scal.* ib. p. 10.

III. Thema aliud est facti, aliud juris.

L.24. de R. J. l. 16. de stat. hom. l. Servius. vir. de V. S. l. utrum.47. de donat. int. vir. & ux. *D. Vult.* 2. J.R.2. n.1. *Althus.*2. J.R.3.in pr.

Quæstio seu thema facti est, quo de facto, quæritur.

Ut, cum quaritur, uter posterior natus sit, quæstio facti est non juris. d. l.16. *hac semper est in arbitrio judicis. Duaren.* lib. 1. disput. c. 41. *Althus.* d.c. 3. *de quaante omnia constare opor-*

oportet. l. Divus Trajanus. 24. de testib. *nec tantum de facto ipso, sed etiam de qualitate facti, Mynſ.* 4. O. 80. *quæ desumitur ex circumstantiis, potissimum verò personarum, temporum & locorum.* l. aut facta. 16. de pœn. *quoniam ex facto jus,* l. si plagis, §. in clivo. ad L. Aquil. *Specul.* in tit. de Advocat. §. nunc de exordiis. n. 15. *Rol. à Vall.* consil. 23. in pr. vol. 4. *& ex factorum diversitate diversæ oriuntur actiones. Geil.* de arrest. c. 5. n. 5. *ac proindè si factum in aliquo sit vitiatum, ipsa juris decisio vitiabitur.* arg. l. aut facta. 16. de pœn. *Gœdd.* cons. Marp. 27. n. 1. vol. 1.

Quæstio juris est de facti merito.

D. Vult. 2. J. R. 3. in pr. *Seu est ex facto jus debitum, quod in judicio persequimur. Althus.* d. c. 3. *Hæc est certa & definita, adeoq; potestati judicis non relicta, licet judex quandoq; dubitet, quodnam jus, de quo aliâs constat, facto sit applicandum. D. Vult.* d. c. 3. n. 4. *Exemplum habetur* in l. qui servo. de furt. *ubi quæritur, an furtum sit, si quis servo alieno, ut fugeret, persuaserit.*

IV. Thema aliud est simplex, aliud compositum.

Simplex est res unica & simplex, quæ ad explicandum tantum proponitur.

Ut, homo, virtus, conventio, contractus,



delictum, actio, appellatio &c. Sæpè etiam pluribus vocibus exprimitur, ut lex moralis, emptio, venditio, locatio, conductio, verborum obligatio.

Th compositum est integra sententia, quæ confirmanda vel confutanda est.

A Rhetoribus appellatur status controversiæ, & status caussæ, quod in hoc caussa consistat. A JCtis litis contestatio, seu lis contestata, quæ est substantia, & fundamentum totius judicii. l. 1. & auth. offeratur C. de litis contest. l. prolatam. C. de sent. & inter loc. *quâ omissa totus processus vitiatur. Marant.* part. 6. memb. 10. in pr. *Mynſ.* 3. O. 74. *exceptis caussis summariis. Mynſ.* cent. 1. Obſ. 1. *vid. Socin.* reg. 239. usq; ad 243. *De hac igitur Judici ante omnia constare debet. Constabit autem, si non tam ad casum (ut hodiè fieri solet) quam ad argumenta utriusq; partis ex casu desumpta respiciat: hoc est ad actionem, exceptionem, replicationem. Estq; illi ab actione incipiendum, ad exceptionem procedendum, ab exceptione ad replicationem, ab hac ad duplicationem, & sic deinceps descendendum: donec tandem ad aliquid perveniat, quod ab uno litigatorum propositum adversarius negaverit, & ita conflictio caussarum fiat. Hæc N. Vigel.* in Dial. juris, pag. 451. vide ejusdem libellum de litis contest. *ubi utilissi-*

lissimum hunc litis contestandi modum exemplis declarat.

Estq; thesis vel hypothesis.

Thesis est thema conjunctum, continens sententiam generalem.

Ut: Heres rem legatam alienare non potest, nec pignori obligare. Geil. 2. O. 137. Legatarius actionibus hereditariis non tenetur. N. Vigel. 3. Obs. Camer. c. 16. reg. 3.

Hypothesis est thema conjunctum, continens sententiam specialem.

Ut: Macedo famosus juventutis corruptor & usurarius, occasionem dedit SCto Macedoniano. l. 1. de Senat. Maced.

Argumentum est id, quo thema explicatur.

Reg. I.

Omnia argumenta sunt relata.

Nulla enim est caussa, quæ non habeat effectum, & effectum à caussa est effectum. Subjectum est sui adjuncti subjectum, & è contrario. Quam ob rem posito uno aliquo argumento, ejus quoq; thema correlatum poni necesse est, & alterutro sublato, alterum quoque stare nequit. Consensus est caussa efficiens matrimonii, matrimonium ejus effectum. Posito *consensu, ponitur matrimonium.* l. 30. de R. J. *deficiente consensu, deficit matrimonium.* c. cum apud. c. cum locum. de sponsal. junct. d. l. 30.

 II. Omne

II.

Omne argumentum pro diversa consideratione diversam naturam induit.

Zabarell. lib. 2. de method. c. 18. *Hoc est, una eademq; res potest suscipere rationem caussæ, effecti, subjecti, adjuncti, dissentanei, deniq; cujusvis argumenti, sed diversa ratione, seu respectu diverso. Sic consensus contractuum est efficiens, & materia. Efficiens est, quando vox contractus accipitur pro actu contrahendi, quomodo intelligendus Wesembec.* in ϖ. de O. & A. n. 7. & in tit. de V. O. n. 10. *ubi verò pro ipso contractu & negotio, quod contrahendo fit, ponitur, materia est. Gœdd.* de contr. & commit. stipul. c. 3. n. 4. *Atq; hoc est, quod JCti dicunt, unam eandemq; personam respectu diversarum qualitatum diversimodè censeri.* c. cum Capella. de privileg. c. ex literis. de probat. *gloss.* ibid. in verb. vices duorum. *Everh.* in loc. de tanquam seu respectiv. *Geil.* de arrest. Imper. cap. 6. n. 14. *D. Vult.* 1. F. 4. n. 9. *Ita mulier suæ familiæ est & finis & caput.* l. familiæ. §. 1. l. pronunciatio. in fin. de V. S. *Caput seu principium est, quia ab ea nova familia initium capit. Finis est, quia in ea finitur agnatio, G. Obrecht.* disp. feud. 9. θ. 77. & seqq. *P. Loriot.* in l. 2. de R. J. *Pruckm.* ad l. in multis. 9. part. 1. princ. membr. 3. art. 22. de stat. hom. & lib.

ult.

ult. part. 2. art. 21. *sic etiam absurdum non est, aliquem esse respectu unius in libertate, & respectu alterius in servitute. Kirchner.* de Rep. disput. 2. th. 6. *Geil.* d. c. 6. n. 15. & 17. *ubi, quâ ratione Rex Hispaniæ, Daniæ & Dux Holsatiæ status imperii sint explicatur. Quemadmodum & plurium dominorum quis Vasallus esse potest. Geil.* d. c. 6. n. 15. & seq. *Servitutes diverso respectu sunt in bonis & non sunt. D. Vult.* ad pr. Inst. de R. D. n. 18. *Maritus est dominus dotis & non est. D. Vult.* ad pr. Inst. quib. al. lic. vel non lic. num. 15. *Simili modo dispositio aliqua potest esse favorabilis & odiosa. Geil.* d. c. 6. n. 20.

In argumento considerari debent tum affectiones, tum species.

Secundum affectiones argumentum est l. necessarium vel contingens.

Necessarium, quod necessariò thema arguit.

Positâ actione, necesse est, præcessisse obligationem, aut caussam aliquam similem, ex quâ actio illa nata sit. Ita majestas necessariò arguit legibus solutam potestatem.

Contingens est, quod contingenter thema arguit.

Huc pertinet Locus à verisimili, *qui fundatur super præsumptione. Everh.* hîc n. 18. *cui in criminalibus non datur locus, ubi probationes*

luce meridianâ clariores requiruntur. Mynſ. 6. O. 97. in fin.

Reg. *I.*

Præſumptio eſt pro negante.

N. Vigel. in Dial. jur. p. 461. *Ratio regulæ eſt, quia affirmanti*, l. 2. eum qui 22. de probat. *non neganti incumbit probatio*. l. 10. C. de non num. pec. l. 23. C. de probat. *niſi pro affirmante ſit ratio probabilior, vel præſumptio major*. l. licet. 73. de leg. 1. l. 24. de probat. l. 6. de his qui ſui vel al. *Plures exceptiones vide apud N. Vigel.* d. lo.

II.

Tale quidq; præſumitur, quale naturâ, lege vel moribus regulariter eſſe debet, vel plerunq; fieri ſolet.

L. 6. de ſolut. l. ſciendum. 30. de V. O. l. Titia. 134. §. pen. eod. tit. *N. Vigel.* in Dial. jur. p. 474. & ſeq. *Villalob.* in com. opin. lit. T. n. 72. & ſeq. *Turz.* reg. 5. *ſic qualitas, quæ naturaliter ineſt homini, ſemper adeſſe præſumitur. Alciat.* in tract. de præſumpt. reg. 1. *Althuſ.* 2. J. R. 27. *Exceptiones hujus regulæ vide apud N. Vigel.* in M. J. R. lib. 2. c. 11. in verb. jus.

III

Facta non præſumuntur, niſi probentur.

Quia ut dictum, præſumptio eſt pro negante

vid.

vid. l. in bello. §. factæ. de capt. & postl. reverſ. c. cum in jure extr. de offic. de leg. *D. Vult.* conſ. Marp. 22. n. 2. vol. 1.

II. Argumentum eſt proprium, vel commune.

Proprium eſt quod uni ſoli competit.

Dos eſt proprium mulieris patrimonium, l. 3. §. ſed utrum de minor. *quæ tamen ex die nuptiarum ſtatim marito debetur.* l. unic. §. exactio. C. de rei exer. act. *quoad emolumentum.* l. in rebus 38. C. de jure dot. *Cujac.* 5. O. 4. *ad ſuſtinenda onera matrimonii.* l. pro oneribus C. de jure dot. *Dominii proprium eſt, ut quis rem alienare, atq; de ea pro libitu diſponere poſſit. Socin.* conſil. 72. & conſil. 107. n. 34. vol. 3. *Unde quilibet eſt rei ſuæ moderator & arbiter.* l. in re mandata 21. C. mandat. *etiam in abutendo.* l. ſed ſi lege. §. conſuluit. de petit. hered. *Jaſ.* in l. fin. C. qui teſtam. fac. poſſ. *Regalia propria ſunt Imperatoris. D. Vult.* 1. F. 5. n. 7.

Reg. I.

Quicquid uni proprium eſt, incommunicabile eſt alii.

Jacob. Scheck. lib. 8. Top. 3. *Timpler.* lib. 3. Metaph. c. 3. q. 13. *Ariſt.* 1. Top. 4. *Sunt enim propria ſecunda momenta naturæ. Scal.* ex. 5. S. 6. *& æqualia eſſentiæ, adeoq; ab ea inſeparabilia.*

bilia. Scal. d. sect. 5. & exerc. 12. S. 2. item de cc. ll. lib. 2. *Marius Salomon.* in l. Gallus. de liber. & post. *Adde, quod id, quod communicatur, commune est, non proprium. Keckerm.* lib. 1. system. Log. Sect. 1. c. 21. *siquidem commune & proprium sunt duæ species adversæ. Scal.* lib. 4. Poet. p. 477. *Undè Quintilianus proprium describit è contrario: proprium est, quod non est commune alteri.* lib. 7. *Atq; hinc est, quod dominium ejusdem rei plures in solidum habere non possint.* l. si ut certo. §. si duobus vehiculum Commod. l. Pomponius. §. sed & is. de procurat. *E. filius vivo patre in bonis ejus nihil juris habet, quamvis fictè dominus bonorum dicatur.* l. in suis. 11. de liber. & post. *Mynf.* 4. O. 25. *Ex hoc fundamento disputo contra illos, qui contendunt Majestatem Statibus Imperii esse communicatam. Siquidem Majestas & potestas summa convertentur. Hæc est solius Imperatoris, scil. in Imperio Romano-Germanico, Aurea Bulla* in præfat. circa fin. & tit. 2. in pr. tit. 8. tit. 13. in fin. & tit. 16. *Maximil.* l. in der Handhabens deß Friedens zu Wormbs. Anno 1495. auffgericht. sub tit. von Sachen / so sich vor diesem Landfrieden begeben haben. *Recess. Imperii* de Anno 1544. §. als wir aber. ibi, auß unserer Keiserlicher Macht / und Volkommenheit, & passim. *E. & illa scil.*

Maje-

Majeſtas. Major eſt dubitatio de Regalibus, ſeu juribus Majeſtatis, an nimirum hæc Statibus Imperii ſint communicata? Nihil minus, quamvis hoc velit Bortius apud D. Arumæum vol. 1. diſcurſ. juris publ. pen. c. 3. th. 6. *Sunt enim jura majeſtatis effecta propria ipſius majeſtatis, atq; adeò incommunicabilia. vid. Bodin.* lib. 2. de Repub. c. 1. *licet illorum exercitium & uſurpatio Imperii Ordinibus ſit conceſſa. Sicuti autem is, cui jurisdictio mandatur, proprii nihil habet, ſed quicquid agit, id omne Vice mandantis agit.* l. 16. de jurisd. *D. Vult.* 1. J. R. c. 14. n. 8. *ita Imperator quædam majeſtatis jura per Electores, Duces, Principes, Comites, quos in partem ſolicitudinis, ut loquitur Carolus IV. Imp.* in c. ult. pr. A. B. *aſſumſit, veluti per manum propriam exercet. Kirchner.* de Republ. diſp. 2. th. 4. *quæ tamen propterea dividi vel communicari non dicuntur, ſed Imperatori tota & integra perpetuò reſervantur. Kirchner.* d. lo. *Concludo igitur Imperii Status regalia habere non quoad proprietatem, ſed quoad adminiſtrationem & exercitium, quod ſine majeſtatis diminutione fieri poteſt. Bornit.* de Majeſt. cap. 14.

II.

Proprium eſſentiale non poteſt ſeparari ab eo, cujus eſt proprium.

Hinc

Hinc deduco Imperatorem nostrum etiamnum legibus esse solutum. Quia legibus soluta potestas, est affectio propria Majestatis. Dauth. ad loc. C. de testam. n. 2. *Alb. Gentil.* de potest. reg. absolut. p. 9. *Bodin.* de Rep. lib. 1. c. 8. *D. Vult.* 1. J. R. 12. *quod ipsum Imperatori sine crimine sacrilegii denegari nequit. Vid.* reg. præced. *Ex eodem fundamento est, (quod personalia, ut usus fructus,* §. fin. Inst. de Usufr. *usus ædium.* l. sed neque 8. de usu & habit. §. 1. Inst. eod. *cedi non possint.* l. ex pluribus. 42. de admin. tut. l. non solum. 67. §. si puella. 4. de rit. nupt.

Commune est, quod pluribus competit.

Differt commune, & contingens, quia commune potest esse necessarium. Polan. lib. 1. Log. p. 138.

Inter affectiones argumentorum etiam connexa refero.

Regula.

De connexis idem est judicium.

c. si super gratia, de offic. de legat. in 6. c. translato. de constit. *gl.* in c. inter cæteras. de rescript. & in l. quæ religiosis. de R. V. & in l. arbor. com. divid. *Seu, quod de uno connexorum statuitur, idem & de altero. Geil.* 1. de p. p. c. 6. n. 5. *Connexa enim eandem naturam ex connexione & cohæsione assumunt. Abb* in c.

quantò

quantò in 3. not. de judic. *Sixtin.* conf. Marp. 14. n.103. vol. 1. *Quam ob caussam res connexæ sive unitæ, ut & pertinentiæ eidem foro subjiciuntur, cui subjicitur res principalis. Pacian.* lib.1. c.26. n. 51. de probat. *Frider. Mindan.* in tract. de continent. caus. c. 20. n. 1. *Hoc est, Judex caussæ principalis, est etiam judex caussæ incidentis. Geil.* de arrest. c. 2. n. 10. *ne scilic. continentia caussæ dividatur. Geil.* 1. O. 32. nu. 1. *Quæstio tamen spiritualis incidens ad judicem Ecclesiasticum remittenda est. Geil.* d. O. 32. n. 11. *Mynf.* 1. O. 100. *Hinc etiam mandata cum clausula de relaxandis captivis amplius non turbando, & restituendo, unâ cum citatione super fracta pace in Camera in consequentiam obtineri possunt, quæ aliâs per se & principaliter absq; citatione deneganda forent. Geil.* 1. de p. p. c. 6. n. 5. & 1. Obs. 19. in pr. & n. 1. *Multa enim per consequentiam vel incidentiam conceduntur, quæ alias per se & principaliter non concederentur.* c. præterea. & ibi Dec. extr. de offic. de leg. l. 1. de autor. tutor. *Panormit.* in c. pendentiam. §. si verò. extr. de offic. de leg. *si nimirum tale sit consequens, quod principale negotium concernat. Geil.* 1. O. 32. n. 3. *Propter eandem rationem, plures litis consortes, quorum unus tantum immediatè, reliqui verò mediatè imperio subjecti sunt, in Camera forum*

in

in prima instantia sortiuntur. Geil. d. Obs. 32. n. 2. & d. c. 6. de p. p. *sic privilegia concessa privilegiato, extenduntur quoque ad ipsius familiares, ipsique subditos.* Geil. de arrest. c. 8. nu. 10. *Undè Statutum Imperii subditi pace religionis fruuntur.* Autor *discurs.* de jure princip. conclus. 28. lit. b. *Bertram.* de pace relig. th. 29. & seqq. *Eademque privilegia indulta sunt Studiosorum famulis, quæ ipsis Studiosis.* Geil. 2. O. 68. n. 6. & lib. 1. de p. p. c. 6. n. 21. *Frider.* de contin. caus. c, 19. n. 12. *Wesemb.* cons. 50. n. 22. *Hinc etiam, civitatem habens, territorium ratione connexitatis habere intelligitur.* Bald. cons. 357. n. 1. vol. 5. *Et qui territorium habet, procul dubio jurisdictionem habere censetur.* Natta. consil. 36. n. 180. *Hujus loci est gravissima illa quæstio:* An Tutor Electori 18. annorum, etiam regimen Principatuum resignare teneatur? *Quam omninò affirmo; siquidem individuo nexu dignitas cum principatu cohæret.* Aurea bulla cap. 20. *Knichen.* in privileg. Saxon. verb. Electorum. c. 5. *Marq. Freher.* in Orat. 1. de propugn. Frider. IV.

Si species spectes, est argumentum vel artificiale, vel inartificiale.

Artificiale, quod ex se arguit.

Estque primum vel à primo ortum.

Primum, quod est suæ originis.

Estque

Estq; simplex vel comparatum.

Simplex, quod simpliciter & absolutè consideratur.

Estq; consentaneum vel dissentaneum.

Consentaneum est, quod consentit cum re, quam arguit.

Estq; vel absolutè vel modo quodam.

Absolutè consentanea sunt caussa & effectum.

Sicut ab Aristotele decem numerantur summa genera rerum, quæ vocant prædicamenta, sic à P. Ramo decem numerantur genera argumentorum, caussa, effectum, subjectum, adjunctum, diversa, opposita, comparata, notatio, distributio, definitio, testimonium. Ad quæ omnes loci Legales, quorum centum & triginta unum habet Everhardus, veluti ad summa capita reducuntur.

Cap. III.

C*Aussa est, cujus vires est.*

Reg. I.

Caussa est fons omnis scientiæ.

Scire enim est rem per caussas cognoscere. Hinc Virgilius:

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.

Ita praxis sine theoria nunquam est felix. Vid. Everh. in loc. à contr. sens. n. 17. *Leges, ait*

Bald. in repetit. L. Æmilius. de minor. *in ſcholis deglutiuntur, ſed in practica digeruntur. Cauſſa igitur & principium in omni re ſpectandum. Geil.* 1. p. p. 16. n. 17. & n. 21. *Eſt enim cujusq; rei potiſſima pars.* l. 1. de Orig. jur. *Sic ad cognoſcendum quis ſit actor vel reus, petitio & originaria cauſſa inſpicienda eſt. Ut citatus in caſu* l. diffamari. C. de ingen. manumiſſ. *cogitur agere. E. eſt actor, forumq; rei ſequitur. Mynſ.* 6. O. 90. n. 6.

II.

Cauſſa eſt prior effecto.

Ariſt. 2. poſt. c. 16. *Zabar.* 1. prior. §. 10. *Scal.* exerc. 77. S. 5. *Weſemb.* in Inſt. ad rubr. de Rer. diviſ. n. 3. *jus eſt efficiens, regula effectus. Illud igitur hac prius. Idcirco ex regula jus non ſumitur, ſed contra ex jure regula.* l. 1. de R. J. ubi Dd. *Poſſeſſio eſt cauſſa dominii. E. dominio prior.* l. 1. de acquir. poſſeſſ.

III.

Qualis cauſſa talis effectus.

Deus eſt bonus. E. non eſt author peccati. Peucer. de divinat. pag. 61. 126. & ſeq. *Nullum eſt mixtum jus. E. nec obligatio mixta ex naturali & civili. Althuſ.* 1. J. R. 25. *Principes imperii habent dignitatem perpetuam. E. conſtitutiones eorum ſunt perpetuæ, ac proinde juris civilis.* per l. 9. de juſt. & jur. *Schneid.* ad §. ſed

iſtæ.

istæ. Inst. de action. *Muscul.* de successſ. convent. & anomal. membr. 1. classſ. 1. concl. 1. lit. D. *Quæcunq; igitur æquiparantur ratione caussæ, utiq; etiam ratione effecti. Seu à pari caussa par procedit effectus, exemplo.* l. furiosi. de R. J. *ubi furiosus & prodigus æquiparantur respectu efficientis caussæ in contractibus. E. etiam ratione effectus. Sicuti ergò furiosus non obligatur, ita nec prodigus. Gœdd.* ad l. 21. n. 9. de V. S. *Ex hoc fundamento explicatur* l. 3. de offic. Prætor. *Quo enim jure gesta à Barbario servo valent, eodem etiam jure Prætor fuit. At non stricto jure valebant, sed ex utilitate. Stricto itaq; jure Barbarius Prætor non fuit, sed ex utilitate. D. Vult.* lib. 2. discept. schol. c. 18. *siquidem limitata caussa, limitatum producit effectum.* l. in agris. de A. R. D. *Coras.* 3. Miscell. 15. n. 11. *Huc etiam pertinet, quod nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat.* l. nemo. 54. de R. J. *Item Locus* ab absurdo: *Falsa enim & absurda caussa falsum producit effectum. Et posito uno absurdo, multa sequuntur. gloss.* in l. 7. C. de rescind. vend. *Quo nititur Imp.* in l. fin. C. de auctorit. præst. l. unic. §. pro secundo. C. de cader. toll. l. si quis jusjurandum. l. generaliter. C. de reb. cred. §. fin. qui & ex quib. causſ. man. possſ.

IV.

Posita caussa sufficiente ponitur effectus.

Wesemb. in Inst. ad §.per traditionem. lit. c.de R.D. & in ꝟ.ad SC. Maced. *Sufficientes caussæ usucapionis sunt bona fides, justus titulus, ut res vitio careat, possessio. vid. Wesemb.* in §. novissimè de usucap. & in §. seq. n.1. *quarum una si deficiat, deficit usucapio. Enormis læsio non est caussa sufficiens ad rescindendam transactionem. Myns.* 6. O. 91. & 1. O. 33. *cum ea verò concurrente dolo, transactio infringitur. Myns.* d. Obs. 91. n. 5. *Sic quando qualitas est caussa alicujus effectus, puta pœnæ inferendæ, non sufficit probare factum, nisi in specie qualitas probetur. Myns.* 4. obs. 80.

V.

Sublata vel cessante caussa cessat effectus.

Tiraq. in reg. cessante caussa. *Geil.* 2. O. 85. n. 3. *Quæ regula est communis omnium caussarum finis, efficientis, materiæ & formæ. N. Vigel.* in Dial. jur. pag. 200. *Sublata possessione, velut caussa, nulla procedit usucapio.* l. 2. C. de præscript. long. temp. c. fine. de R. J. in 6. l. 25. de usucap. *Cessante caussa dispositionis, cessat ipsa dispositio. Vult.* cons. Marp. 17. n. 105. vol. 1. *Et cessante caussa finali legis vel privilegii, cessat lex & privilegium. Oldend.* cons. Marp. 5. n. 36. vol. 1. *Ideoq́ vagabundi & pseu-*

pseudoscholastici privilegiis Studiosorum, de quibus in auth. habita. C. ne filius pro patr. *non gaudent, etiamsi in album, vel matriculam universitatis sint recepti.* *Geil.* 2. O. 118. n. 8. *Hujus loci sunt Tit. Ne filius pro patre. Ne uxor pro marito. Delicta namq; suos sequuntur autores.* l. Divus. de pœn. *Gybn.* tom. 2. Symphor. part. 3. tit. 7. n. 12. & seqq. *& cum iisdem extinguuntur.* t. tit. C. si reus vel accus. mort. fuer. *Fallit hæc regula* 1. *in caussa impulsiva.* *Everb.* in loc. à ratione leg. larg. n. 6. & in loc. à cessat. rat. n. 4. & in loc. à contr. sent. n. 18. 2. *quando plures sunt caussæ finales eundem effectum respicientes.* *gl.* in §. affinitatis. Inst. de nupt. l. si ventri. §. fin. de privileg. cred. *Wes.* in §. fin. n. 2. Inst. de hered. instit.

Caussa est vel externa vel interna.

Externa, quæ extra rei essentiam est.

Estq; finis vel efficiens.

Finis est caussa, cujus gratia res est.

Omnes fructus rerum natura hominum gratiâ comparavit. l. 28. §. fin. de Usur. *Finis interrogatoriarum est, ut testes ad varietatem & contraria inducantur.* *Geil.* 1. O. 59. n. 3. *Finis belli est justitia.* *Scal.* lib. 1. Pœt. c. 1. *Non pax quæritur, ut bellum exerceatur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* c. noli. 23. q. 1.

Reg.

Finis dat mediis amabilitatem & mensuram.

Undè à Scaligero finis dicitur perfectio, exerc. 254. *à quo omnia denominantur.* c. qualis. in pr. 25. dist. c. commissa. in pr. de elect. in 6. l. rem non novam. C. de judic. *omnisq; dispositio ampliatur & restringitur. Socin. sen.* cons. 165. n. 21. vol. 2. *Varis.* cons. 84. n. 12. & cons. 113. n. 22. vol. 1. *utpotè qui principalem intentionem significat. Decius* consil. 350. n. 4. *à qua actus agentium judicantur.* l. si quis nec caussam. in pr. de reb. cred. l. rogasti. in pr. eod. l. qui exceptionem. in pr. de condict. indeb. *licet exitum bonum actus sortitus non fuerit*, l. quid ergò. 3. §. sufficit. de contr. tutel. act. *ubi Ulpianus:* sufficit (*ait*) tutori benè & diligenter negotia gessisse, etsi eventum adversum habuerit, quod gestum est, *quod vel maximè in maleficiis observari debet, ibi enim voluntas spectatur, non exitus.* l. qui injuriæ. de furt. l. quod Reip. de injur. *Undè est, quod furiosi, dormientes, & impuberes doli non capaces delinquere non videantur. Clar.* lib. 5. pract. quæst. 60. n. 7. & seqq. *Indè etiam est, ut factum per se bonum, vel minimè vituperandum, propter finem malum, ipsum etiam malum censeatur*, arg. l. 7. C. ad L. Cornel. de sicar. l. 1.

in pr.

in pr. D. eod. tit. *Et factum per ſe malum ex fine dijudicetur non malum.* l. 4. §. itemq; fieri. de alienat. judic. emt. Cauſſ. *Nicol. Vigel.* Dialect. juris pag. 215. & ſeq.

Estq; finis alius principalis, alius minus principalis.

Principalis, qui primariò intenditur ab efficiente.

Finis hominis primarius eſt gloria Dei. Lev. Lemn. de occult. natur. mirat. lib. 1. c. 1. *Coraſ.* in l. 2. n. 2. de ſtat. hom. *P. Gregor.* lib. 8. Syntax. art. mirab. c. 5. in fin. *Salus populi ſeu publica utilitas, ſuprema lex, ſeu ſummus finis eſto. Finis transactionis eſt, ut litibus finis imponatur.* l. 1. de transact. l. frater. 10.

Minus principalis eſt, qui ſecundò intenditur ab efficiente.

Actionis ad exhibendum finis ſecundarius eſt, ut res exhibeatur: principalis, ut res exhibita vindicetur. l. 1. ad exhib. l. 22. de V. S. *Pœnarum finis minus principal. eſt, ut cæteri exemplo deterreantur.* l. ſi pœn. de pœn. *Matrimonii, liberorum procreatio.* l. 1. §. fin. de J. & J. §. 1. Inſt. de J. N. G. & C.

Cap. IV.

De efficiente.

E*Fficiens eſt cauſſa, à qua res eſt.*

Estq; per se, vel per accidens.

Effic. per se est, quæ sua facultate efficit.

Reg.

Efficiens eadem, quâ eadem, facit idem.

Caussa efficiens juris naturalis est Deus. l. 2. de LL. *E. jus apud omnes & tempore omni idem est, adjuncta ejus interdum sunt alia, sed quæ rei substantiam non immutant. Vult.* ad pr. Inst. de J. & J. n. 7.

Estq; I. generans vel corrumpens.

Generans est procreans, vel conservans.

Procreans, quæ primò rem efficit.

Belli caussa prima fuit libido dominandi. Salust. in Catilin. *Imperator omnium dignitatum & Magistratuum fons est, atq; origo. Kirchner.* de Rep. p. 22. *Communio bonorum est caussa discordiæ. D. Vult.* consil. Marp. 22. n. 100. vol. 1. *Nuptias facit consensus.* l. 30. de R. J. *Omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo.* l. pen. de LL. *Huc etiam pertinent tituli juris, quibus modis patria potestas constituitur de acquirendo rerum dominio, de acquirenda hereditate, de acquirenda possessione, de contrahenda obligatione, de usufr. constituendo & accrescendo.*

Conservans, quæ rem conservat.

Majestas imperii salutis est tutela. Curt. lib. 3. *Melius beneficiis imperium custoditur, quam armis.*

armis. Senec. de brevit. vit. *Metu pœnarum, & præmiorum exhortatione conservantur Respub.* l. 1. de J. & J. *Geil.* de p. p. lib. 1. c. 3. n. 8. *Familiæ per masculos conservantur, non per fœminas.* l. pronunciatio. in fin. de V. S.

Reg.

Plerunq; eadem res est caussa procreans, & conservans.

Omnium rerum autor & conservator est Deus. Genes. 1. vers. 27. Malach. 2. v. 10. 1. Corinth. 11. *P. Gregor.* in proleg. Syntax. art. mirab. c. 1. in pr. & lib. 9. c. 3. *Iis alimur, è quibus constamus. Scal.* exerc. 31. *Amicitias & conciliat, & conservat virtus. Cicer.* de amicit. *Scitum est illud Scaligeri pronunciatum: Conservatio est essendi continuatio; & quædam veluti perpetua generatio.* d. exerc. 31. *Cæsar ut nobiles efficit ita etiam conservat. Plin.* in Panegyr.

Corrumpens caussa est, quæ effectum procreatum destruit.

Atq; ita unius generatio, solet esse alterius corruptio, & contra. Turzan. reg. 71. *N. Vigel.* Dial. jur. p. 42. & 274. & seq. *Exemplum est* in l. peregrè 44. §. fin. de acquir. possess. *ubi Pomponius:* Ejus (*ait*) quod servi vel coloni possident, non aliter amitti possessionem, quam si eam alius ingressus fuisset. *Hujus loci sunt*

ri ſunt tituli, quibus modis patria poteſtas, ſervitutes, tutela, curatela, obligatio tolluntur & amittuntur.

Reg.

Eadem ſunt principia conſtitutionis, & corruptionis.

L. nihil. 35. de R. J. *ubi Ulpianus:* Nihil tàm naturale eſt, quàm eo genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt. *Ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario diſſenſu tollitur. Aliud exemplum proponitur* in l. ferè. 153. de R. J. *ubi Paulus:* Ferè (*inquit*) quibuscunq; modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla poſſeſſio acquiri, niſi animo & corpore, poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium eſt. *Pax religionis à ſolo Imperatore non eſt facta. E. eam ſolus non abrogabit. Kubach.* cap. 4. juriſpr. German. n. 11.

II. Efficiens eſt ſolitaria, vel partialis.

Solitaria, quæ ſola ad rem efficiendam ſufficit.

Prudentia ſola præit & ducit ad rectè faciendum. Plato in Menone. *Nuptias ſolus conſenſus ſine concubitu facit.* l. 30. de R. J. *Solo animo poſſeſſio retineri poteſt.* l. clam poſſidere. 6.

§. qui

§. qui ad nundinas. de acquir. possess. *Emptio-venditio, locatio conductio, societas, mandatum, solo consensu absq; traditione perficiuntur. Dominium non potest, nisi ex una caussa contingere.* l. 3. §. ex pluribus de acquir. vel amitt. possess. *Geil.* 1. O. 61. num. 8. *Quod enim alicujus proprium est, amplius ejus fieri non potest.* §. sed si rem legatarii. Inst. de legat. l. proprias res. C. eod. *Illud insuper hîc notandum, quando dicitur, ipso jure aliquid fieri, jus esse caussam facti illius solitariam. Ita liberi ipso jure* l. in suis. 11. de liber. & postum. absq; aditione. l. 17. de injust. rupt. irrit. testam. *sunt & dicuntur heredes. Althus.* 1. J. R. 17.

Partialis seu socia est, quæ cum aliis agit.

Obligationis & actionis caussæ sociæ sunt jus & factum. Nicol. Vigel. Dialect. jur. p. 40. *Actus omnis potestate & voluntate simul concurrentibus perficitur. Gœdd.* cons. Marp. 25. n. 56. vol. 1. *Ita pacis religionis caussæ sociæ sunt Status Imperii, Q. Kubach.* c. 4. jurisp. German. n. 1. *Et delictum, quandoq; à pluribus committitur. Mynf.* 4. O. 78. *Althus.* 1. J. R. 50. *Hujus loci sunt duo rei stipulandi, & promittendi.*

Quæ I. vel principalis, vel adjuvans.

Principalis est, à qua effectus principaliter pendet.

Cauf-

Caussa summa & principalis omnium juris effectuum est jus. Wesemb. in Inst. de oblig. ad pr. n. 2. *D. Vult.* in Idea jur. Log. pag. 36. & 1. J. R. 26. n. 1. item 1. discept. schol. 16. & in Inst. ad §. multis a. modis. n. 1. de libertin. *cui subordinatur minus principalis caussa, nimirum voluntas hominis. Vult.* ad pr. Inst. de rer. divis. n. 26. *quæ voluntati legis debet esse conformis, & consentanea. D. Gœdd.* cons. Marp. 26. in fin. vol. 1. *Sic nempè quos lex non facit heredes, eos nec testator facere potest.* l. nemo. 55. de legat. 1. *ne id quod publico jure est introductum,* l. 3. qui testam. fac. poss. *privatorum pactis immutetur.* l. 38. de pact. *Et ubi lex usucapionem impedit, bona fides nihil prodest.* l. ubi 21. de Usucap. *Ita etiam non dominus quandoque rei alienandæ potestatem habet, & contra dominus eam potestatem non habet.* pr. Inst. quib. alien. lic. vel non lic. *quia nimirum facultas alienandi non ex voluntate hominis, sed ex voluntate legis dependet. Vult.* 1. J. R. 69. n. 1. *Cujus authoritas in omni actu est excepta. Wesemb.* in §. per traditionem. n. 5. de rer. divis. *utpotè quæ est mensura nostræ voluntatis, ad quam in omnibus nostris actionibus respicere debemus; nec nostræ tantum, sed & Principis ipsius, cujus voluntas semper juri conformis esse præsumitur. D. Paurmeist.* de jurisd. lib. 1. c. 21.

n. 12.

n. 12. *Ut rectius mihi dicere videar, Omnia esse Legis, quàm Imperatoris. Quod vel ex eo constare potest, quod Princeps jus ad tertii injuriam & detrimentum immutare non possit.* l. pen. de hered. instit. l. 2. & 3. C. ne fisc. vel Resp. *nisi evidente ratione, h. e. lege, suadente. Mynſ.* 5. O. 97. *Diaz.* reg. 582. *nec quemq; cogere, ut invitus vendat rem propriam.* l. invitum. C. de contrah. empt. *exceptis illis casibus, quos recenset Mynſ.* 5. O. 25. *In quibus non tàm Princeps & magistratus, quàm salus populi, h. e. Lex, jubet res proprias vendere. Siquidem publica utilitas præferenda est privatæ.* l. 3. C. de principib. lib. 12. c. licet quibusdam. 18. §. illa semper. de regularibus.

Minus principalis caussa est, à qua effectus minus principaliter pendet.

Vocatur etiam adjuvans. Sic Status imperii sunt caussæ adjuvantes eorum, quæ in Comitiis imperii peraguntur. Kirchner. de Rep. disp. 2. th. 5. lit. c. *quorum conventio & adhibitio jus majestatis non imminuit, sed felicitatem imperii promovet. Kirchner.* d. lo. lit. e. *Juris effectuum caussa minus principalis est voluntas hominis, ut paulò antè dictum. At inquis, provisio hominis tollit provisionem legis.* l. 1. de legit. tut. l. fin. C. de pact. convent. *quia nempè quisq; rei suæ moderator est, & arbiter.* l. in re mandata. 21.

C. man-

C. mandat. *etiam in abutendo.* l. sed si lege. §. consuluit. de petit. hered. *rebusq; suis potest imponere legem, quam velit.* c. verum. extr. de condit. appos. c. nullus. extr. de serv. non ordin. l. quoties. C. de donat. sub mod. *At inquam, jus cuiq; permittere administrationem rerum suarum non absolutam, sed determinatam, quæ vitiosa & nulla censetur, si præter vel contra leges fiat. D. Vult.* ad pr. Inst. quib. alien. lic. vel non lic. n. 2. & seqq. *Nam paria sunt aliquid non fieri, & ritè seu legitimè non fieri.* l. quoties. qui satisd. cog. *Gœdd.* ad l. 120. n. 3. & ad l. 125. n. 2. de V. S.

Estq; impulsiva, vel instrumentalis.

Impulsiva, quæ impellit principale agens ad efficiendum.

Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. Senec. de Clem. *Imperitia est caussa impulsiva testamentorum militarium.* in pr. Inst. de milit. testam. l. ult. C. de testam. *Differt à caussa finali. Impulsiva est, quando decisio est generalior ipsâ caußâ seu ratione. Sin verò caussa & ratio est generalior decisione, vel æquè generalis, finalis est. Everh.* in loc. à cessat. rat. n. 5. *Cantiunc.* in loc. à fine. *N. Vigel.* in Dial. jur. p. 320. *In dubio autem caussa præsumitur impulsiva potiùs, quàm finalis. Bald.* in l. generaliter. C. de Episc. & Cler. Ruberter. in Dial. jur. p. 15.

Estq;

Est & vel προηγουμένη, *vel* προκαταρκτική.

Proegumena est, quæ intus movet ad agendum.

Caussa proegumena institutionis, est testatoris erga heredem affectio. Wesemb. in π. de hered. instit. n. 4. *Donationis, est benefica voluntas donantis. Wes.* in π. de donat. n. 4.

Procatarctica, quæ interiorem irritat.

Caussæ jurisgentium procatarcticæ sunt necessitas vitæ, & utilitas. §. 2. Inst. de J. N. G. & C. *Deus prodest malis propter bonos. Senec.* lib. 4. de benefic. *Vocatur etiam occasio. Ut calamitas virtutis occasio est. Senec.* de divina provid. *Qui occasionem damni præstat, ipse damnum fecisse videtur.* l. qui occidit. §. in hac actione. ad L. Aquil. *Geil.* 1. de p. p. 8. n. 16.

Instrumentalis caussa est, quæ applicata, & mota à principali caussa adjuvat actionem.

In jure vocatur modus. Modi seu caussæ instrumentales, quibus jus utitur ad dominium acquirendum, §. singulorum Inst. de rer. divis. *sunt captivitas.* §. item ea. d. t. *venatio.* §. feræ igitur bestiæ. *inventio.* §. item lapilli. *specificatio.* §. cum ex aliena. *accessio.* §. item ea, quæ. *traditio.* §. per traditionem. d. t. *Usucapio, donatio, successio, arrogatio, addictio, adjudicatio. Manumissionis instrumenta erant vindicta, epistola, testamentum, codicilli.* §. mul-

multis Inst. de libert. *Non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites, sed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma adversus milites: talia enim sunt monimenta sacerdotis, ait Ambrosius* in c. reprehensibile, 23. q. 8.

II. Caussa socia alia est essentialiter, alia contingenter subordinata.

Essentialiter subordinatæ sunt, quarum inferior à superiori in caussando pendet.

Scotus 1. sent. d. 2. q. 2. *Ut in generatione homo pendet à sole.* §. sed hæc quidem. Inst. de exhered. lib. *Gregor. Rolbag.* in cert. masculo-fœm. aciei mulieb. c. 3. & aciei viril. c. 7. n. 3. *Et à summo Principe inferiores magistratus pendent, quorum contraventio nihil operatur, quando de illius intentione constat. Geil.* 2. O. 60. n. 12. *siquidem ratio caussandi in superiori semper est nobilior. Keckerm.* lib. 1. Syst. Log. Sect. 1. c. 15. *Ideoq; Princeps alicui jurisdictionem concedens, eam non privativè, sed cumulativè concessisse intelligitur. Althus.* 1. J. R. 8. *atq; adeò ad ipsum tanquam superiorem appellari potest. Joh. Andr.* in addit. ad Specul. tit. de jurisd. omn. jud. vers. vidistis duar. *locusq; est præventioni. Mynf.* 6. O. pen.

Reg.

Caussa caussæ, est etiam caussa caussati.

Valet

Valet hæc regula tantùm in caussis essentialiter subordinatis. Keck. d. c. 15. p. 143. *Exemplum proponitur* in l. manumissiones. de j. & j. *ubi dicitur, jus gentium esse caussam servitutis, servitutem manumissionis. E. jus gentium est caussa manumissionis. Ratio regulæ manifesta est ex prioribus, quippè caussa inferior nihil operatur, nisi quantum accipit à superiori.* l. si quis domum. §. 1. Locat. l. 69. §. 1. l. cum pater. 77. §. 20. de leg. 2. *Hinc est, quod omnes descendentes repræsentent stirpis suæ autorem.* Gœdd. de V. S. pag. 595. & seq. *adeoq́ue omnes ascendentes in infinitum parentes dicuntur.* Gœdd. de V. S. p. 550. & seq.

Estq́ue caussa essentialiter subordinata, vel proxima vel remota.

Proxima est, quæ immediatè caussa effecti existit.

Actionis personalis caussa est potestas & obligatio. Vult. 2. J. R. 5. n. 6. *Actionis realis, proxima caussa est possessio & dominium.* Vult. 2. J. R. 21. n. 4.

Remota, inter quam & effectum aliæ intercedunt.

Actionis personalis remota caussa est contractus & delictum. Geil. 1. O. 61. n. 4. *Dicitur etiam mediata, quæ si non multum sit remota, æquè consideratur, ut proxima.* Aretin. cons. 6.

D circ.

circ. fin. *Hinc qui opem præstat mediatè perindè punitur, ac si immediatè opem tulisset.* l. si servus servum. §. si quis de manu. ad L. Aquil. *Geil.* de arrest. c. 4. n. 8. *Quod enim quis per alium facit, ipse fecisse putatur. Ita acquisitio dominii alia est mediata, alia immediata.* §. 1. Inst. per quas pers. *Mediata, quando per nostræ potestati subjectos, puta per liberos & servos acquirimus. Ulp.* tit. 19. *Immediata, quando per nos ipsos dominium acquiritur.* d. §. 1. *Vult.* 1. J. R. 69.

Contingenter subordinatæ sunt, cum inferior à superiore non pendet suâ naturâ, ac per se.

Sic pendent quidem delicta à voluntate hominis, tamen quia non pendent secundum perfectionem naturæ, quâ voluntas est, sed quâ corrupta, ideò contingenter subordinantur, ita ut regula illa locum hîc non habeat: Quod est caussa caussæ, est etiam caussa caussati.

Est etiam efficiens per se alia naturalis, alia voluntaria.

Naturalis, quæ insita naturæ vi agit.

Natura semina nobis scientiæ dedit. Senec. epist. 121. *Vim vi repellere naturâ licet.* l. 3. de J. & J. l. 45. ad L. Aquil. l. 1. C. undè vi c. significasti. extr. de homicid. *Naturâ æquum est, neminem cum alterius jactura fieri locupletiorem.* l. 14. de condict. indeb.

Volun-

Voluntaria, quæ agit certa præcognitione & consilio.

Imperator quem vult nobilitat. Bald. in l. sacrilegii. 5. C. de diverſ. reſcript. *Jaſ.* in l. omnium. C. de teſtam. *Tiraq.* de Nobilit. c. 5. *Diocletianus & Maximinianus ſe ſponte Imperio abdicarunt, & in privatam vitam conceſſerunt, Anno Ch. 304. Dominus poteſt, cui vult, locare.* l. nec cui. C. locat. *Aditio hereditatis eſt actus ſpontaneæ voluntatis.* l. 6. §. ult. l. ſi motus. 84. de acquir. hered. §. 6. Inſt. de hered. qualit. & differ. *Agit autem hæc cauſſa certa præcognitione & conſilio. Undè qui rerum circumſtantias non habet exploratas, nec velle nec contrahere intelligitur. Weſemb.* in §. fin. Inſt. de hered. qualit. & differ. n. 4. *Ut ſunt furioſi,* l. 40. de R. J. *amentes, infantes.* l. 1. in fin. de O. & A. *prodigi, Cujac.* in l. 6. de V. O. *impuberes.* t. t. de author. tut. *ſervi.* l. 32. de R. J. *pupillo, quatenus non ſunt facti locupletiores. Cujac.* 22. O. 23. *Robert.* lib. 1. ſent. c. 10.

Sequitur cauſſa per accidens, quæ alterius facultate efficit.

Quis negat eximiam quoq; gloriam, ſæpius fortunæ, quam virtutis eſſe beneficium Curt. lib. 8. *Victoria litis numeratur inter caſus fortuitos. Molin.* ad conſuet. Pariſ. §. 18. gl. 1.

Et eſt præternaturalis, vel involuntaria.

Præternaturalis, quæ præter naturam suam aliquid efficit.

Sic error jus facit per accidens. l. 3. §. fin. de supell. legat. *non per se. Govean.* 1. lection. 6. n. 8. *Dn. Vultej.* 2. discept. schol. c. 18. *D. Hillig.* in Donell. enucl. lib. 1. c. 5. lit. A.

Involuntaria, quæ præter consilium & propositum, invitè quippiam facit.

Eaq; est vel inscia, vel coacta.

Ad insciam caussam refero ignorantiam & imprudentiam.

Creditor non tenetur præstare pignora: quia ipso inscio à latronibus sunt direpta. l. 6. C. de pignor. act. *Nemo videtur in dolo esse, qui ignorat caussam, cur non debeat petere.* l. qui in jus. 137. in fin. de R. jur. *Hujus igitur loci est ignorantia juris & facti.* in rubr. & l. 1. de ignor. jur. & fact. *Ignorantia facti proprii est intolerabilis.* l. 3. l. nec 6. d. t. l. quanquam. 7. ad SC. Vellej. *adeoq; non præsumitur, nisi de damno evitando agatur.* l. error. 8. & seq. de jur. & fact. ignor. *quæ alieni est facta, probabilis est.* l. fin. pro suo. *& præsumitur. Mascard.* de probat. concl. 879. vol. 1. *nisi omninò supina sit & affectata.* l. 6. de jur. & fact. ignor. l. 4. quod vi aut clam. *Ignorantia juris naturalis nemini prodest.* l. 2. C. de jus vocand. *Civilis verò in lucro captando nihil prodest.* l. 1. l.

9. de

9. de ignor. jur. & fact. *Geil.* 2. O. 48. *in damno vitando nihil obest.* d. l. error. 8. *exceptis 25. annis minoribus.* l. fin. C. de jur. & fact. ign. l. pen. C. de minor. *mulieribus.* l. 9. de jur. fact. ign. *militibus.* in pr. Inst. de milit. test. l. 1. D. eod. *rusticis.* l. 2. de in jus vocand. *quando scil. peritiores consulendi copiam non habuerint.* l. bonorum. 10. in fin. de bon. poss. l. 2. in fin. quis ordo in bon. poss. serv. *Cujac.* 5. O. 39. *Exemplum imprudentiæ habetur* in l. ferè 108. de R. J. *ubi Paulus ait:* Ferè in omnibus pœnalibus judiciis & ætati, & imprudentiæ succurritur.

Caussa coacta est, quæ vi, cui resistere nequeat, compellitur ad faciendum quippiam, præter & contra naturam & voluntatem suam.

Polan. lib. 1. Logic. p. 26. *Atque hi extra culpam sunt, qui coacti metu, necessitate vel violentia alterius, aliquid fecerunt,* l. 131. de R. J. l. culpa. 50. eod. *nec proindè delinquere censentur. Clar.* lib. 5. pract. crim. q. 60. n. 17. *exceptis iis casibus, quos refert Cujac.* 19. O. 10. *Ita coactus adire hereditatem, nihil oneris sustinere cogitur.* l. qui totam. 45. ad Trebell. *Nam coacti magis pati, quàm agere videntur. Geil.* 2. de p. p. 10. n. 34. *Nundinarum privilegium licet decennio per non usum amittatur; secus tamen est, si ob necessitatem non evenientem, quis*

hoc privilegio usus non sit. Geil. 2. O. 60. n. 1. *Huc pertinet casus fortuitus, quem nullum humanum consilium prævidere.* l. 2. §. si eo temp. ad administr. rer. ad civit. pert. *aut evitare potest.* l. ex conducto. 15. §. Servius. locat. l. 18. commodat. *Hic quomodo probetur, docet Alex.* cons. 50. n. 4. lib. 1.

Cap. V.

De Materia.

HActenus de caussis externis, sequuntur internæ, quæ effectum ingrediuntur; ut materia & forma.

Materia est caussa, ex qua res est.

Materiam vulgò triplicem faciunt, Ex qua, In qua, & Circa quam. Materia ex qua est, quæ cum forma essentiam constituit, quæ propriè materia dicitur, & est ea, quæ hîc definitur. Materia in qua nihil est aliud, quàm subjectum: nam in subjecto adjuncta inhærent, atq; insunt. Sic scripturæ materia dicitur charta. §. nihil a. Inst. de testam. l. 1. in pr. de bonor. poss. sec. tabb. *Materia circa quam est objectum, circa quod mens versatur, atq; occupatur, cognoscendo. Joh. Piscat.* lib. 1. animadv. c. 6. *sic materia artium dicuntur res, circa quas versantur: veluti materia jurisprudentiæ dicuntur personæ, res, & actiones.* §. fin. Inst. de J. N. G. & C. *Ma-*

C. *Materia ex qua hominis est terra.* P. *Gregor.* com. in proleg. Syntax. art. mirab. cap. 1. & lib. 9. c. 1. *Andr. Libav.* de univers. & orig. rer. lib. 7. in not. diei, sexti. θ. 30. *Materia verò ex qua prima mulier Eva formata est, Adami costa fuit. Libav.* d. lib. 7. th. 30. *Est autem Eva non de Adæ pede, ne famula, nec de capite, ne domina, sed de costa, ut collateralis videretur, facta. Joh. Baptist. Swartzenthal.* tract. de stipul. l. 9. tab. 3. n. 54. *Ex vino & melle mulsum fit, ex auro & argento electrum.* §. si duorum. Inst. de rer. divis. *Ex uvis vinum, ex olivis oleum, ex lana vestimentum, ex tabula navis.* §. cum ex aliena eod. t.

Cap. VI.

De Forma.

Forma est caussa, per quam res est id, quod est.

Quemadmodum Evangelium non consistit in verbis scripturarum, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. c. Marchion. 1. q. 1. *ita virtus & forma legis non in verbis, sed in sententia consistit.* l. scire leges. de LL. *Ut igitur unius rei una tantùm est forma, ita etiam sensus legum per se tantùm unicus est.*

Reg. I.

Forma dat esse rei.

L. Julianus. §. si quis rem. ad exhib. *Oldendorp*. Class. 3. pact. 222. *Wesemb*. in Inst. ad §. 21. lit. b. de rer. divis. *Estq; præcipua cujusq; rei pars*. *Wesemb*. in π. de transact. n. 21. *sine qua res esse nequit*. *Gœdd*. in pr. l. 3. de V. S. n. 47. & in §. 1. l. 5. n. 16. eod. *Ita pacta dant formam contractibus*. l. 1. §. si convenit. depos. l. 34. de R. J. *Cujac*. in l. 7. §. quin imò. de pact. *Hotom*. quæst. illustr. 35. *Ræward*. 2. var. 1. & 4. var. 4. *D. Vult*. 1. J. R. 44. n. 26. & seqq. *quibus non adjectis, id sequimur, quod ex more regionis vel loci, in quo conventio inita est, usu receptum est*. l. semper in stipulationibus. de R. J.

II.

Omnis distinctio & determinatio est à forma.

Zabar. lib. de Constit. individ. cap. 4. & lib. 2. de prima rer. mat. cap. 9. item lib. de facult. anim. cap. 9. & lib. de nat. c. 7. *E. ex formarum differentiis specierum numerus colligitur*. *Gœdd*. ad l. 49. n. 8. de V. S. *Veluti tot sunt dominii species, quod dominandi formæ*. *Robert*. c. 18. sent. 3. *Althus*. 1. J. R. 5. *Totq; species specificationis, quot modis ex materia aliena vel sola, vel una cum nostra species nova consti-*

constitui potest. Vult. ad §. cum ex aliena. n. 2. Inst. de rer. divis.

III.

Positâ formâ ponitur res ipsa, & sublatâ tollitur.

Forma depositi consistit in custodia. l. 1. in pr. depos. *Gædd.* ad rubr. extr. de sequestr. n. 19. *Cujus igitur rei est, vel esse potest custodia, ejus etiam est depositum.* d. l. 1. *Atqui rei etiam immobilis est custodia.* l. 11. de peric. & com. rei vend. *E. & depositum.* *Huc pertinet* locus à defectu formæ, *& formatur in hunc modum: Non servata forma actus corruit, redditurq́ue nullus* c. quia propter. extr. de elect. c. in summa. c. sine except. 12. q. 2. *etiamsi defectus sit parvus. Marsil.* in rubr. C. de probat. n. 437. *Brun.* de forma. sub rubr. de potest. & effect. form. vers. 4. *quia formæ nihil potest adimi vel detrahi. Bald.* in l. ult. C. de suis & legit. *nec sufficit eam servasse per æquipollens. Bartol.* in l. non sunt liberi. de stat. hom. *Dd.* in l. 1. & 2. de vulg. & pupill. substit. *Hinc JCti res abesse dicunt, quamvis maneat corpus, si forma mutetur.* l. mulier. de V. S. *Hinc etiam ratio desumitur, cur dominus novi alvei dominium amittat.* §. 23. Inst. de R. D. *quia scil. res amißâ formâ mutatur & extinguitur, unàq́ue dominium amittitur.* arg. l. Julianus. §. si quis rem. ad exhibend.

Cap. VII.

De Effecto.

Hucusq; de caussa: Effectum est, quod ex caussis existit.

Ejus ex natura relatorum tot sunt species, quot ipsius caussæ. Effectus potestatis dominicæ est potestas vitæ & necis, & acquisitio bonorum. §. 1. Inst. de his, qui sui vel alien. jur. *Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire.* l. 7. de LL.

Reg. I.

Nullus effectus excedit virtutem suæ caussæ.

Nefas est, ait Scal. caussas superari effectibus, vel etiam æquari. lib. 2. de Plant. *Geil.* 2. O. 1. n. 8.

II.

Uuius caussæ plures possunt esse effectus. L. 7. de LL. *Ita sæpè una caussa plures producit actiones, veluti ob arbores cæsas plures proditæ sunt actiones.* l. 1. l. 2. l. pen. arbor. furt. cæsar. l. duob. §. colonus. de jurejur. *Sic si quis servum alienum injuriosè verberat, ex uno facto incidit & in legem Aquiliam, & in actionem injuriarum.* l. 33. de A. & O. *quibus casibus necesse est, nomen actionis in libello exprimere,*

mere, ut reus conventus certus esse possit de qualitate actionis propositæ. Geil. 1. O. 61. in fin.

III.

Posito effecto, necesse est, caussam esse, vel fuisse.

Exemplum est in l. 2. de jurisd. omn. jud. *ubi Jabolenus ait:* Cui jurisdictio data est, ei quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest.

IV.

Propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale est.

Ut nepos diligitur propter filium. l. dedi dotem. de collat. bonor. l. liberorum. 220. in fin. de V. S. *E. multò magis filius diligi censendus est. Hinc si statuto vel lege nova excluditur filia à successione, extante masculo.* l. maximum vitium. 4. C. de lib. præter. *E. multò magis neptis. Everh.* in loc. à rat. leg. larg. n. 32. *sic actionem expetimus propter rem, E. multò magis rem ipsam expetimus. Sicut Ulp.* in l. minus 204. de R. J. *ait, minus esse actionem habere, quàm rem. Huc & illud refertur: si vinco vincentem te, multò magis vinco te.* l. de accessionib. de diverf. & temp. præscript. *Passag.* de success. ab intestat. n. 25.

Cap.

Cap. VIII.

De Subjecto.

ATq; ita fuit argumentum absolutè consentaneum, sequitur consent. modo quodam.

Estq; subjectum, vel adjunctum.

Subjectum est, cui aliquid adjungitur.

Estq; recipiens vel occupans.

Recipiens, quod recipit adjuncta.

Estq; iterum vel inhæsionis, vel adhæsionis.

Inhæsionis, cui aliquid inhæret.

Dicitur etiam subjectum in quo, & materia in qua. Scientiæ & ignorantiæ subjectum inhæsionis est mens. Mutui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensurave constant. l. 2. §. 1. de reb. cred. *Constituitur usufr. in rebus corporalibus tàm mobilibus, quàm immobilibus.* l. 3. §. constituitur. de usufr. *Res hereditaria est subjectum, hereditas, hoc est, caussa, jus & titulus succedendi est adjunctum. Vult.* ad § hereditas plerunq;. n. 2. Inst. de hered. instit. *Gœdd.* ad l. 5. n. 8. de V. S. *sicuti res dotalis est subjectum dotis. Vult.* ad pr. Inst. quib. al. lic. vel non lic. n. 8.

Reg. I.

Posito subjecto, ponuntur etiam ejus necessaria adjuncta.

Est magistratus. E. habet jurisdictionem.

Bocer.

Bocer. de jurisd. p. 141. *Ita jurisdictio inhæret territorio, ut apud quem sit territorium, apud eundem sit & jurisdictio.* *Tilm.* obs. pract. 15. *Eodemq; modo, fundo præscripto, vel alio modo apprehenso, omnia ejus accessoria præscripta & acquisita censentur.* *Geil.* de arrest. c. 5. n. 5. *Coler.* in c. auditis. n. 26. de præscript. *Undè re immobili in feudum datâ, etiam jura & alia accessaria veniunt.* *Vult.* 1. F. 5. n. 4.

II.

Negato subjecto, negantur etiam ejus adjuncta.

Taurell. lib. 4. contra Cæsalp. p. 724. *Vult.* 1. F. 11. n. 5. *Quia subjectum est principale & fundamentum adjunctorum. At verò sublato & destructo principali, corruit & accessorium.* c. accessorium. de R. J. in 6. *V. g. Re principali, legatâ sublatâ, tollitur etiam legatum accessionis.* §. si quis ancillas. Inst. de legat. *Ecclesia, civitas, castrum vel collegium autoritate superioris destructo, amittit sua privilegia.* *Geil.* 2. O. 61. & 2. de p. p. n. 30. *Ita mutata possidente persona, rei mutatur qualitas & nomen, quæ à persona possidente pendebant.* *Gœdd.* ad l. 24. n. 13. de V. S. *sic omnia personalia cum persona, & realia cum re extinguuntur. Hinc etiam est, quod juramentum contractui consensu carenti appositum, æquè ac contractus nullam planè efsica-

ficaciam habeat. Bart. in l. si quis prono. n. 15. de fidejussor.

Subjectum adhæsionis est, cui adhæret adjunctum.

Dicitur etiam subjectum Cui, *scil. cui quippiam datur vel adimitur. Exempla sunt* in l. 5. §. fin. de alien. jud. mut. causs. *Ubi Pedius;* Hæc actio (*ait*) heredi dabitur, in heredem autem vel similem non dabitur. *Et* in l. 1. §. 6. uti possidet. *Actio nunquam ultrò possidenti datur, quippè sufficit ei, quod possideat. Huc pertinet* Locus, *quo adjunctum res locata capitur. Dn. Goclen.* in Instit. Log. lib. 1. pag. 138. *Atq; hic facit, ut idem vel furtum, vel sacrilegium sit, & capite luendum, vel minore supplicio.* l. 16. §. locus de pœn. *Et quando dubitatur, quid actum sit, ad consuetudinem loci, in quo actum est, respiciendum esse monet Ulp.* in l. semper. 34. de R. J. *Sic locus rei sitæ jurisdictionem tribuit. Dn. Vult.* consil. Marpurg. 29. n. 22. vol. 1.

Subjectum occupans, seu objectum est, circa quod versatur & occupatur adjunctum.

Ut Grammaticæ subjectum occupans est oratio pura: Rhetoricæ oratio ornata: Dialecticæ ratio: Metaphysicæ Ens quâ tale: Jurisprudentiæ personæ, res & actiones. §. ult. Inst. de J. N. G. & C.

Cap.

Cap. IX.

De Adjuncto.

ADjunctum est, cui aliquid subjicitur.

Reg. I.

Adjunctum non constituit essentiam subjecti, sed subjecti essentiæ è materia & forma constitutæ demum accedit.

Nimirum omne adjunctum est posterius subjecto. Scal. ex. 10. *Zabar.* lib. 1. de qualit. element. c. 9. *at quod est posterius, prius per rerum naturam constituere non potest. Sic confirmatio est adjunctum juris alicujus jam quæsiti, quod præsupponitur. Geil.* 2. O. 1. n. 3. *E. ut nihil adimit aut immutat, ita etiam de novo nihil dat. Dn. Vult.* consil. Marp. 21. n. 205. vol. 3. *Undè Rex Romanorum electus statim consequitur nomen Imperatoris, & plenum jus administrandi, omniaq; ei consequentia, etiam ante inaugurationem & coronationem. P. de Andlo* de imper. Roman. lib. 2. c. 5. *Lepold. de Beben.* de jure regni, cap. 5. 6. & 12. *Paurmeist.* de jurisd. lib. 2. c. 4. n. 4. *Buxdorff.* ad A. B. concl. 37. & 38. *sola enim electio facit Regem, Coronatio verò electum declarat. Dn. Arum.* in prælect. ad A. B. c. 2. *Sic confirmatio privilegii nihil magis operatur, quam privilegium ipsum in se continet. Oldend.* cons. 20. n. 2. vol. 4. consil. German.

man. *Et contractus renovatus videtur fieri secundum formam prioris contractus, si de diversitate non appareat. Tilman.* Syntag. 1. decis. Camer. 4. vol. 7. n. 2. *Protestatio quoque tanquam adjunctum, neque auget, vel de novo addit jus quoddam protestanti. Gylman.* tom. 2. Symphon. Cam. part. 1. vol. 1. n. 14. *sed quod protestantis est, tantum conservat*, per l. si debitor. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. *Dn. Vult.* consil. Marp. 29. n. 118. vol. 1. *Quæ si ab eo fiat, qui nullum jus habet, nihil proficit.* l. si major. C. de rescind. vend. *Wesemb.* consil. 58. n. 26. *quæ tamen cautela abundans non nocet.* l. non solent. 94. de R. J.

II.

Adjunctum cedit subjecto.

Seu, ut JCti loquuntur, Accessorium sequitur naturam sui principalis. c. accessorium. de R. J. in 6. l. cum principalis. D. eod. *Quare si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, domus illa non fit ædificantis, sed illius cujus est solum.* §. ex diverso. Inst. de rer. divis. *Et qui in ripa ædificat, non efficitur soli dominus, sed quod ædificavit, amittit.* l. quia. 15. de A. R. D. *quia proprietas riparum est illorum, quorum prædiis isthæc adhæret.* l. ergo. 3. §. Celsus. d. t. *Hinc quicquid judicatur de principali, idem etiam est de accessoriis judicandum.* l. testatrix.

ſtatrix. §.fin. ſi ſervit. vind. l.ſi quando.C.de bon. vacant. c. cum ad ſedem. de reſtit. ſpol. *etiamſi acceſſorium ſit majus & dignius ſuo principali.* l. cum aurum. 19. §. perveniamus. de aur. & arg. legat. § ſi tamen alienam.Inſt. de R. D. *Hyppol. de Marſil.* ſingul. 7. n. 6. *Sic e. g. juramentum eam interpretationem, easdem conditiones & limitationes recipit, quas recipit diſpoſitio, ſuper qua ſit juramentum, ejusdemq; naturam retinet. Menoch.* conſ. 84. n. 40. & ſeq. *Surd.* conſ. 264. n. 45. *ſicuti omnes clauſulæ acceſſoriæ recipiunt ex principali fomentum. Geil.* de p. p. lib. 1. c. 6. n. 4. *Hinc etiam eſt, ut tertius pro ſuo intereſſe intervenire, & cauſſæ unà cum principali aſſiſtere poſſit. N. Vigel.* Method. pract. obſerv. lib. 2. c. 8. *ac propterea iisdem terminis arctatur, quibus principalis. Geil.* 1. O. 71. n. 18. & ſeqq. *Hinc item eſt, ut bona adjecta Comitatui, & Marchionatui, ad eum pertineant, ad quem ſpectat ipſe Comitatus & Marchionatus. Alciat.* in c. quod ſedem. n. 92. de offic. ordin. *Franc. Vivius* lib. 1. Com. opin. verſ. ſtatutum excludens fœminas. §. provincia cuncta. *Hinc deniq; eſt, ut pecunia ex fructibus feudi maſculini durante tutela à tutoribus collecta ad ſolos filios pertineat, ſororibus excluſis. Sicut enim à feudo, tanquam principali filiæ excluſæ ſunt, ita*

etiam à fructibus ejus post mortem patris indè perceptis & collectis excludi debent. Mynſ. 6. O. ult. *Porrò procedit hæc regula, ſi ſit eadem acceſſorii ratio, quæ principalis, ſecus ſi ſit diverſa. Mynſ.* 3. O. 2. *Coler.* in c. auditis. n. 26. de præſcript. *Sixtin.* de regal. c. 8. n. 23. *Cothman.* reſponſ. 14. n. 34. & ſeqq. *P. Frider.* de contin. cauſſ. lib. 3. tit. 21. §. 6. & ſeqq.

Estq́ receptum, vel occupatum.

Receptum, quod à ſubjecto recipitur.

Estq́ inhærens, vel adhærens.

Inhærens, quod in ſubjecto exiſtit, vel ineſt.

Talia adjuncta Conſiliarii ſunt ſolertia, ſcientia legum, & fides. procem. Inſt. §. cumque hoc. *Generoſſiſſima habentur ingenia, quibus nihil ineſt iræ. Senec.* lib. 2. de ira.

Huc pertinent quantitas, & qualitas.

Quantitas eſt, per quam intelligitur quanta res ſit.

Ex quantitate loci JC. Pomponius tum iter, tum actum colligit acquiſitum in l. 13. de ſervit. *ubi inquit;* Si, tam anguſti loci demonſtratione facta, via conceſſa fuerit, ut neq; vehiculum, neq; jumentum eâ inire poſſit; iter magis, quàm via, aut actus acquiſitus videbitur. Sed ſi jumentum eâ duci poterit, non etiam vehiculum: actus videbitur acquiſitus. *Ita quantitas diſcernit furem ab abigeo:*

nam

nam qui unum suem surripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem ut abigeus. l. 16. §. quantitas. de pœn. *Aliud exemplum est* in l. quod major. ad municip. *Quod major pars curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.*

Qualitas est, per quam cognoscimus, qualis res sit.

Nihil tam æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Senec. Philos. epist. 115. *Patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere.* l. 5. ad L. Pompon. de parricid. *Atq; hæc qualitas facit, ut factum sit vel atrocius vel levius.* l. 16. §. 6. de pœn. *Hujus loci sunt etiam pacta, modi & conditiones, quæ contractibus & ultimis voluntatibus adjiciuntur; qualia sunt addictio in diem, lex commissoria, pactum arrale, redhibitio, &c.*

Adjunctum adhærens est, quod subjecto adhæret.

Estq; connexum vel comitans.

Connexum, quod cum subjecto est vel fit.

Hujus loci est Tempus, *ut cum indicatur, quando aliqua res, seu persona ceperit, seu fiat, facta sit, fuerit, quamdiu fuerit & duraverit, quando desierit, & finem habuerit: quando futura sit & desitura, quamdiu duratura. Polan.* lib. 1. Log. p. 56. *Sic quæritur, quando quælibet*

E 2 *actio*

actio competat. Quo de vide N. Vigel. Digesta, sub quæstione hac: Quando competat actio. & lib. 36. Digest. c. 14. *Et quamdiu quælibet actio competat. de quo idem* d. lib. 36. c. 15. *& in singulis actionibus, sub quæstione hac: Quamdiu competat actio? Ita quæritur, quando stipulatio sit facta, an purè & statim, an in diem.* §. omnis stipulatio. Inst. de Verb. Oblig. *An miles in expeditionis necessitate occupatus testamentum fecerit, an verò citra expeditionis necessitatem. Geil.* 2. O. 118. n. 6. *Huc pertinent tituli in jure de feriis & dilationibus.*

Comitans est, quod rem comitatur.

Estq; antecedens & consequens.

Antecedens, quod rem antecedit, nec eam tamen constituit.

Ita usus naturâ est prior usufructu. D. Vult. ad pr. Inst. de usufr. n. 6. *Juramentum testium depositionem procedere debet. Geil.* 1. O. 151. n. 9. *Aliud exemplum est* in l. 42. de Reg. Jur. *Qui agit, antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. Nam cum litis eventus sit incertus.* l. 51. de pecul. *sæpè melius consuleretur partibus, si ipsi se inanibus sumptibus non vexarent, ut in simili loquitur Ulpian.* in l. 1. de inoff. testam. *Et* in l. 1. in pr. de requir. reis, *ubi Marcianus inquit:* inauditâ caussa quemquam damnari, æquitatis ratio non patitur. *Reg.*

Reg. I.

Posito antecedente necessario, ponitur consequens.

Vel, cui conceditur antecedens, conceditur & consequens, sine quo illud explicari non potest. l. 2. de jurisd. *Ubi Javolenus ait:* Cui jurisdictio data est, ea quoq; concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit. *Aliud exemplum habetur* in l. 1. §. 1. si ususfr. pet. *ubi Ulpian. ait*, si, usufructu loci legato, iter ademtum sit, inutilem esse ademptionem, quia semper sequitur usumfructum.

II.

Antecedenti destructo, destruitur consequens.

Hinc quod ab initio vitiosum est, tractu temporis, convalescere non potest. de qua reg. vid. Nic. Vigel. M. J. C. c. 6. in fin. replic. gener. lib. 12. *Ergò, quod quis, dum servus est, egit, proficere libero facto non potest.* l. 146. de R. J.

Consequens est, quod, rem sequitur, nec ab ea tamen constituitur.

Interdictorum loco successerunt mandata. N. Vigel. lib. 3. Observ. Camer. c. 6. reg. 5.

Reg. I.

Posito consequente, ponitur antecedens.

Qui nucleum esse cupit, nucem frangat opor-

tet. Plaut. Qui enim vult conseq. videtur etiam velle antecedens, sine quo illud fieri non potest, per l. illud. de acquir. hered. c. ex parte. de sponsal. *Ut si agens petitione hereditatis, non petat se heredem declarari; vel si agens rei vindicatione, non petat se dominum declarari, sed solum petat alium cogi & compelli, ad dimittendam, & restituendam hereditatem, vel rem aut bona per eum possessa, valet nihilominus libellus.* arg. d. illud. *Vi hujus regulæ, clausulæ in fine adjectæ, ad præcedentia omnia referuntur. Gabriel.* lib. 6. de clausul. concl. 9. *Et verba posterioris investituræ intelligenda sunt secundum naturam præcedentis contractus. Bart.* in l. si mihi & Titio, n. 7. de V. O. *nisi à præcedentibus sit recessum. Dec.* cons. 185. n. 3.

II.

Destructo consequente necessario, destruitur & antecedens.

Ut Senator patronus prohibetur contrahere nuptias cum liberta, E. etiam sponsalia. l. oratio de sponsal.

III.

Surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur.

Barth. Kellenb. de renunciat. success. q. 2. n. 32. *Gabriel.* lib. 6. de reg. jur. concl. 2. *Turzan.* reg. 22. *Franc. Vivius* lib. 1. com. opin.

verb.

verb. ſtatutum excludens fœminas. n. 7. *Felin.* in c. cum acceſſiſſent. verſ. & ex hoc dicto. de conſtit. *Ita Imperator eodem quo populus Romanus jure utitur, utpote cum lege Regia populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contulerit.* l. 1. de conſt. Princip. *Geil.* 1. de p. p. 4. n. 9. *Sic caſtrum deſtructum, & alio loco ædificatum, ſubditos & privilegia ſua retinet. Geil.* 2. Obſ. 61. n. 8. *Maximè autem hæc regula procedit in ſurrogatione naturali, cujusmodi eſt nepotis in locum filii.* l. ult. verb. natura. C. de impub. & al. ſubſt. l. poſthumorum. de injuſt. rupt. irr. *Tiraquell.* de jure primogen. q. 40. n. 43. & 49. *Nam ſurrogatus eodem jure utitur, atq; is, in cujus locum ſuccedit.* l. 2. verſ. nam heres. ad SC. Trebell. l. 9. §. 1. de edend. l. 175. §. 1. & 177. de R. J. *Quare cum filius ſuccedat in locum ſui patris, ejusq; perſonam repræſentet, Phil. Matth.* conſil. Marp. 21. n. 51. vol. 1. *cumq; eodem cenſeatur una eademq; perſona.* c. jam itaq; 1. q. 4. l. fin. C. de impub. & al. ſubſt. *conſequens eſt, nepotem in ſucceſſione patruo ſeu ſecundogenito præferendum eſſe. Tiraq.* de primog. q. 4. n. 12. *Mynſ.* 3. O. 23. *Moller.* 1. ſemeſtr. 40. *Hinc etiam ſtatutum fœminas excludens, extante maſculo, extenditur ad nepotem. Geil.* 2. O. 148. n. 8. & ſeq. *ſi tamen non ſimpliciter, (quod exceptionis*

loco notetur) sed quoad aliqua surrogatio facta sit, non in omnibus, sed in quibusdam solummodò surrogatum sapit naturam illius, cui surrogatur. Menoch. lib. 1. de A. J. Q. q. 54. n. 34. & seq. *Dec.* cons. 50. n. 2.

Adjunctum occupatum est, quod occupatur circa subjectum.

Jurisprudentia est adjunctum, occupatum personarum, rerum & actionum. §. ult. Inst. de J. N. G. & C.

Cap. X.

De Diversis.

Tantum de consentaneo, sequitur dissentaneum, quod à re dissentit.

Dissentanea sunt diversa, vel opposita.

Diversa, quæ solâ ratione dissentiunt.

Sicut Rud. Agricola est primus inventor disparatorum, ita P. Ramus diversorum. Cæterum solâ ratione dissentire dicuntur illa, quæ cum non sint, simul tamen esse, atq; uni eidemq; rei tribui possunt. E. g. Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. Hic vires & voluntas ita inter se dissentiunt, ut tamen simul possint esse in uno eodemq; subjecto. Princeps licet legibus non sit alligatus. l. princeps. de LL. *nihil tamen tàm proprium imperii est, quàm legibus vivere.* l. ex imperfecto. 3. C. de testam. *Sic diversa sunt, servum*

servum esse, & servire, liberum esse, & esse in libertate. l. ei quoq;. 11. ex quibus causs. major. l. 10. & 11. de liber. causs. l. possideri. §. si servus. de acquir. vel amitt. poss. *Ut coloni etiamsi sint servi non tamen serviunt.* l. unic. C. de colon. Thrac. *sed clientes potius sunt sub patrono, quàm servi sub domino. Cujac.* ad d. l. un. *sic ingenuus servire quidem potest, qui tamen servus non est.* §. fin. Inst. de ingen. l. 2. de capt. & postl. revers.

Regula 5.

Omnia opposita fiunt diversa, cum attribuuntur eidem, secundum diversam partem ratione diversa, vel gradu remisso, tempore deniq; diverso.

Goclen. lib. 1. Inst. Log. cap. 9. *Pertinet huc locus* à tanquam seu respectivis, *Everhard.* pag. 778. *Exempla regulæ hæc sunto; Eadem aqua est & calida & frigida, gradu remisso, i. e. tepida. Una eademq; res potest esse publica & privata. Flumen est res publica.* l. 1. de interd. *respectu possessionis sive usus.* §. riparum. 4. Inst. de rer. divis. *non est res publica sed privata, respectu proprietatis.* d. §. riparum. *Una eademq; actio potest esse partim criminalis, partim civilis: Criminalis, quatenus concernit publicam vindictam, puta quoad pœnam fisco applicandam: civilis verò quatenus respicit interes-*

E 5

tereſſe privatum. Geil. 1. de p. p. 15. n. 25. *Uſusfructus eſt pars fundi*, l. fructus. 44. de R. V. *& non eſt pars fundi.* l. 25. de V. S. *Eſt pars fundi, quatenus in facto conſiſtit, quem Dd. vocant cauſſalem. Non eſt pars fundi, quatenus eſt ſervitus, in jure conſiſtens.* l. Mœvius. 66. §. pen. de legat. 2. *quem vocant formalem. Similiter iter eſt pars actus.* l. 1. in pr. de S. R. P. *quando actus pro eundi commoditate ponitur.* d. l. 1. l. qui uſumfr. de V. O. *non eſt pars actus, ſed ſpecies ſervitutis actui contradiſtincta.* l. loci corpus. 4. §. 1. ſi ſervit. vind. l. 1. de adim. legat. *Undè is, qui ab actu abſolvitur, ab itinere non liberatur.* l. ſi mater. §. ſi iter. de except. rei judic.

Cap. XI.

De Diſparatis.

O*Ppoſita ſunt, quæ ratione & re diſſentiunt.*

Reg. I.

Affirmato uno oppoſitorum negatur alterum, non contra.

Niger eſt, E. non eſt albus. Eſt prædium dominans. E. non ſerviens; & conſequenter, nullum prædium ipſum ſibi ſervire poteſt. l. 33. §. fin. de S. P. R. l. 11. Commun. præd. *Quod*

meum

meum est, amplius meum fieri nequit. §. ſed ſi rem legatarii. Inſt. de legat. l. proprias res. C. eod. *Cujus illuſtre exemplum ponitur* in l. neq; pignus. 45. de reg. jur. *ubi Ulpian.* neq; pignus (*inquit*) neq; depoſitum, neq; precarium, neq; emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt. *Sacra publici juris ſunt.* l. 1. §. hujus a. ſtudii de j. & j. *E. poteſtati privatorum non ſubjacent.* arg. l. jus publicum. de pact. l. 45. §. 1. de R. J. *eademq; divini juris ſunt.* §. ſacræ res. Inſt. de rer. diviſ. *Ergò profana fieri nec poſſunt nec debent.* l. inter. 73. §. ſacram. 3. de Verb. Oblig. *ſed in pios uſus ſunt eroganda.* l. legatum. 16. de uſu & uſufr. legat. *Schneid.* in Inſt. ad d. §. ſacræ res. *Schurff.* conſ. 48. cent. 1. *Hujus loci eſt regula illa: Unius incluſio eſt alterius excluſio. Borch.* de grad. p. 135.

II.

Oppoſita eidem attribui ſecundum idem, & ad idem, & eodem tempore non poſſunt.

P. Ram. lib. 1. Dial. c. 13. arg. l. ſi Titius. 16. de condit. inſtit. c. repugnantia. de R. J. in 6. *Ita duo ejusdem rei in ſolidum eſſe non poſſunt.* l. 5. §. ult. Commodat. *eodem ſcil. dominii genere. Diverſo enim reſpectu id fieri poſſe, exemplis demonſtravit Dn. Vult.* 1. J. R. 68. & 1. diſcept. ſchol. 19. *Ex hac regula ſequitur allegan-*

legantem contraria non esse audiendum. l. ubi 148. de R. J. l. 1. C. de furt.

Suntq; disparata vel contraria.

Disparata sunt, quorum unum multis pariter opponitur.

Non omne verisimile statim verum est. Senec. de bon. vit. *juris executio non habet injuriam.* l. 13. §. 1. de injur.

Reg.

Separatorum separata est ratio, nec in iis ab uno ad aliud infertur.

Everh. in loc. à separat. n. 1. *N. Vigel.* in Dial. jur. p. 284. L. fin. de calumniat. l. Quintus Mutius. 2. §. argento. de aur. & arg. legat. *Possessio & proprietas sunt separata, h. e. ut loquitur JC. possessio cum proprietate nihil habet commune.* l. naturaliter. §. nihil commune. de acquir. possess. *Ideoq; ad probationem dominii non sufficit probatio possessionis. Panormit.* in c. cum ad sedem. n. 20. de restit. spoliat. *Mascard.* de probat. vol. 1. concl. 539. n. 1. *licet ex possessione dominium præsumatur. vide allegat. à D. Vult.* cons. Marp. 30. n. 138. & seqq. *Atq; adeò exceptio proprietatis sive dominii, etiamsi in continenti probatio offeratur, non admittitur in judicio possessorio directè. Geil.* 2. O. 75. n. 3. *Joh. Faber.* in §. retinendæ Inst. de interd. *ubi dicit, fatuum esse Advocatum,*

tum, qui talem exceptionem admittit. Nam si admissa fuerit, & probata, præjudicat actori, & reum absolvit. Tilman. Syntag. 4. decis. Camer. 4. vo. 3. n. 25. *Sic jurisdictio, & jus protectionis seu advocatiæ sunt jura separata. Sixtin.* consil. Marp. 8. 109. vol. 3. *ac proindè illa hanc necessariò non infert, vel superioris jurisdictione eximit,* Schutz vnd Schirm gibt keine Obrigkeit. c. recepimus. 8. c. 18. extr. de privileg. l. non dubito. 7. §. 1. de capt. & postl. revers. *Schurff.* cent. 3. cons. 23. *Gigas* in tract. de crim. læs. majest. p. 117. *Parth. Litigios.* lib. 1. c. 16. n. 12. *sive simplex sit advocatia, sive adjunctam habeat administrationis inspectionem. Wesemb.* cons. 48. n. 30. *Maul.* de homag. tit. 11. n. 13. *Deniq, potest quis meram & omnimodam jurisdictionem habere, qui tamen jus collectandi non habeat. Myns.* resp. 1. n. 97. 98. dec. 11. *Schneid.* de feud. p. 2. n. 109. *Borch.* in c. un. de regal. n. 53.

Cap. XII.

De Relatis.

Contraria sunt opposita, quorum unum uni tantùm opponitur.

Reg. I.

Contrariorum idem est judicium.

Seu

Seu contraria juxta se posita magis elucescunt. Cognito uno contrariorum cognoscitur & alterum. pr. Inst. de his sunt sui vel al. jur. l. 1. in pr. D. eod. *Wesemb.* in πr. de j. & j. n. 3. *Sic iisdem regulis continetur distractus, quibus contractus. Geil.* 2. O. 2. n. 5. *Atqui contractus transeunt ad heredes, ergò & distractus. Geil.* d. loc. *Præsumptio solitæ fœnerationis arguit contractum usurarium. Cæpoll.* in tract. de simulat. contract. præsumpt. 23. *Ergò è contrario præsumptio bonæ vitæ suadebit contrarium. Bursat.* consil. 144. n. 6. lib. 2. *Decian.* consil. 2. n. 84. *Cravett.* consil. 145. in fin. *Qui sentit commodum, sentiat etiam incommodum.* l. secundum naturam. de R. J. c. qui sentit. eod. in 6. l. socium in eo pro socio. *ubi damni in actione pro socio ideò non habetur ratio, quia nec lucri. Et* in l. quantitate. in pr. ad L. Falcid. *heredi ideò augmentum prodest, quia nocet eidem diminutio. Pertinet huc regula JCtorum; Petere quis non debet, cujus contrarium in casu converso non esset postulaturus. vid. Everh.* in loc. à rat. casus conversa. n. 1. *Illud insuper hoc loco notandum, quando JCti dicere volunt, quibus aliquid facere permissum sit, regulariter docent, quibus id non liceat. Förster.* 2. Obser. servat. cap. 21. & in tract. de pact. c. 5. *Marc. Ant. Muret.* lib. 8. var. lect. c. 7. *Concessum enim vide-*

videtur, quod prohibitum non invenitur, arg. l. 7. C. de religios. *Ita omnes ad testimonium admittuntur, quibus hoc non interdicitur*. l. 3. §. 1. l. idonei. l. nullus. l. ob carmen. de testib. *Quod tamen dextrè accipi velim, siquidem multa jure civili probibita non sunt, quæ tamen jure canonico prohibentur, ac proindè concessa non videntur*. c. sanè. §. cum a. 15. q. 3. *Cæterum vera est hæc regula, quando eadem contrariorum est ratio, nam si diversa subest ratio, contraria est dispositio. vid. N. Vigel.* in Dialect. jur. pag. 262. & seqq. *quæ caussa est, ut in multis casibus inter dominum & vasallum æqualitas non servetur. Afflict.* decis. 265. n. 2. & seqq.

II.

Contraria sunt contrariorum consequentia.

Cicer. 5. Tuscul. *Ram*. lib. 1. Dialect. c. 18. *Etsi contrariorum idem est judicium, eademq; doctrina ex dd. eorum tamen non eadem, sed contraria est dispositio. Everb.* in loc. à contrariis. n. 7. *Bonum à Deo est: peccatum à Diabolo. Tyrannus suum ipsius cōmodum spectat & quærit; at Rex subditorum. Arist.* 8. polit. 10. *Cti ita solent dicere: Idem operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito. Everb.* d. lo. n. 8. *Cacheran.* decis. 25. n. 16. & decis. 97. n. 3.

Cravett.

Cravett. 264. n. 1. *E. g. quemadmodum culpa caret, qui facit id, quod usitatum est, & communiter fieri solet. Jas.* in l. certi condictio. §. num: de reb. cred. n. 27. *Bartol.* in l. si pignore. §. fin. in pr. de pignor. act. *Decian.* respons. 29. n. 16. vol. 1. *sic contrà in culpa esse censetur, qui non facit id, quod communiter fieri solet. Cravett.* cons. 97. n. 6. *Bald.* cons. 463. col. 1. lib. 3. *Et, sicut ineptus libellus is est dicendus, si ex eo constet, actori actionem non competere. Matthesil.* sing. 9. n. 1. *ita ineptus libellus ille dicendus non est, ex quo constare potest, actori actionem competere. gl.* in l. 2. verb. si aptam. C. de rescind. vend. *Hæc forma argumentandi dicitur* à contrario sensu, *Philipp. Melancht.* lib. 4. Dial. pag. 326. *quæ in jure nostro non solum frequens, sed etiam fortissima est.* l. 1. de offic. ejus, cui mand. *Everh.* hîc, n. 22. & seqq. *Fallit tamen in caussa impulsiva: Tiraq.* in reg. cessante caussa. limit. 1. n. 9. *Gœdd.* consil. Marp. 25. n. 122. vol. 1. *Et quoties ratio vel lex est in contrarium. Everh.* n. 12. *Dn. Vult.* 1. discept. schol. c. 15. *item quando indè resultaret absonus intellectus. Socin.* in fallent. n. 49. *vel quando ex eo sequeretur correctio juris. Everh.* n. 7. & seqq.

Contraria sunt affirmantia, vel negantia. Affirmantia, quorum utrumq; affirmat.

Suntq;

Suntq; relata, vel adversa.

Relata sunt contraria affirmantia, quorum alterúm constat è mutua alterius affectione.

Mutua illa affectio est relatio, quæ est duorum pluriumvè unio. Keckerm. lib. 1. syst. Log. sect. 1. c. 12. in pr. *propter quam pater & filius pro una persona habentur.* l. ult. C. de impub. & al. subst. *& vox patris vox filii esse perhibetur.* §. si quis alii. 5. Inst. de inutil. stipulat. *Ita inter maritum & uxorem est affectio seu unio, ex qua uxor fori, domicilii, Dd.* in l. cives. C. de incol. *dignitatis & familiæ mariti particeps fit.* l. fœminæ. C. de Senator. l. 1. & 2. de liber. exhib. l. cum quædam. de jurisd. *adeò ut maritus nobilis nobilitet uxorem rusticam, & maritus ignobilis uxorem nobilem faciat ignobilem. D. Vult.* 1. J. R. 16. n. 15. *Et maritus legitimè natus uxorem illegitimè natam legitimam. Geil.* 2. de p. p. 6. n. 22.

Cap. XIII.

De Adversis.

A*Dversa sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut è regione perpetuò adversantur.*

Bona fides adversa est fraudi & dolo. l. 3. §. fin. pro socio. l. 5. si dolo. C. de rescind. vendit. *Nihilq; consensui tàm contrarium est, quàm vis*

atq; metus. l. 116. de R. J. *nec videntur, qui errant consentire.* d. l. 116. in fin. *quando scil. error est in re ipsa.* l. 9. in pr. de contrah. empt. *Ut si putem me feudum emere Cornelianum, tu verò mihi te vendere Sempronium putes, quia in corpore dissentimus, emptio nulla est.* d. l. 9. in pr. *Secus est, si error sit in solo nomine.* d. l. 9. §. 1. *siquidem emptio venditio non nominis est, sed rei. Dn. Vult.* 1. J. R. 35. n. 89. *Ita jus nostrum non patitur eundem in paganis & testatò & intestatò decessisse: quoniam earum rerum naturaliter inter se pugna est.* l. 7. de R. J. *Hujus loci est* argumentum ab impossibili. *Est autem & dicitur impossibile, non illud solum, quod facto nobis est impossibile, sed & quod jure, quia sit contra bonos mores.* l. 9. de condit. instit. l. 20. d. t. l. ab omnibus. 104. §. 1. de legat. 1. *Nam quæ contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse credendum est.* l. filius. 15. de condit. instit. l. 4. C. de inutil. stipulat. *vel quod commodè facere non possumus.* l. nepos Proculo. de V. S. *simpliciter impossibile est, factum infectum fieri.* l. verum est. 31. de reg. jur. l. in bello. 12. §. captæ. de capt. l. 1. §. si vir. de acquir. possess. *sic virginitas vel castitas corrupta restitui non potest.* l. unic. in pr. C. de rapt. virg. *quamvis fictione juris factum interdum habeatur pro infecto.* l. 16. de capt. & postl. re-

verſ. d. l. 12. §. codicilli. §. ab hoſtibus. Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv. *de qua ſuprà cap. 2. plenius dixi. Hinc eſt etiam, ut impoſſibilium nulla ſit obligatio.* l. impoſſibilium. de reg. jur. *Ideò præceptum judicis continens impoſſibile, non eſt obligatorium, ſed ipſo jure nullum. Everh.* hîc n. 2.

Cap. XIV.

De Contradicentibus.

Contraria negantia ſunt, quorum alterum ait, alterum negat.

Suntq́ duplicia, contradicentia, & privantia.

Contradicentia ſunt, quorum alterum negat ubiq́.

Ut homo, non homo; lex ſcripta, lex non ſcripta: furtum manifeſtum nec manifeſtum. § 4. Inſt. de obligat. quæ ex delict. naſc. *Expreſſa nocent; expreſſa non nocent.* l. expreſſa. 155. de reg. jur. *Aliud exemplum proponitur* in l. 1. §. ſed an ſine. de contrah. empt. *ubi quæritur, an ſine nummis venditio dici hodiè poſſit; veluti ſi ego togam dedi, & tunicam acciperem: Sabinus & Caſſius eſſe emptionem & venditionem putant, Nerva & Proculus permutationem, non emptionem hoc eſſe.*

Cap. XV.

De Privantibus.

Privantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subjecto, in quo affirmatum suapte naturâ inest.

Atq; hîc affirmatum habitus, negatum privatio dicitur.

Habitus est res, cujus per naturam suam capax est subjectum.

Privatio est absentia habitus in subjecto capaci.

Obligatio & liberatio sunt opposita privativa. Item actio seu regula & exceptio: quia exceptio esse non potest, nisi actio sit, vel regula, quam exceptio excludat. N. Vigel. in Dial. jur. p. 56.

Reg.

Privatio præsupponit habitum.

Uberrimus hujus regulæ usus est in jure, quod infinitis exemplis demonstrari possit. Sed sufficiant huic compendio Logices sequentia. Non videtur rem amittere, cujus non est. l. 83. de reg. jur. *Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.* l. 208. d. t. *Servitus ne luminibus officiatur, non potest imponi illi domui, quæ officere non potest.* l. si ædes meæ. & seq. de S. U. P. *Infamis infamiâ juris non potest amplius*

plius infamari in eodem genere infamiæ. Geil. 2. de pac. publ. c. 11. n. 13. *potest tamen effici infamior. Geil.* 16. n. 23. *sic renunciari non potest juri nondum delato Mynſ.* reſp. 1. n. 39. *Everh.* conſil. 129. n. 2. & conſ. 206. in fin. *Nec præſcribi potest juri, vel actioni, niſi quod competiit illi, cui præſcriptio objicitur.* per l. 1. §. ne a. C. de ann. præſcript. *D. Vult.* conſ. Marp. 35. n. 21. vol. 3. *Ita tamen privatio præſupponit habitum, ut ſufficiat habitum potentiâ adeſſe, licet actu non adſit. Everh.* in loc. à privat. ad habit. n. 1. & 5. *Ideoq; cum in pupillo, prodigo, furioſo & vaſallo potentia teſtandi inſit; rectè inteſtati decedere dicuntur. Gœdd.* ad l. 64. n. 5. de V. S.

Est autem privatio alia totalis, alia partialis.

Totalis, quæ cum actu tollit potentiam.

Reg.

A privatione totali non datur regreſſus.

Etſi ab habitu ad privationem ſit mutatio, tamen à privatione ad habitum fieri non potest. Keck. lib. 1. ſyſt. Log. ſect. 2. c. ult. *Ut videns potest fieri cæcus totaliter, ſed non contra. Sic cuilibet licitum est juri pro ſe introducto renunciare.* l. ſi quis in conſcribendo. C. de pact. l. filio præterito. de injuſt. rupt. irr. teſt. l. fin. §. pen. ad SC. Vellej. *Socin.* reg. 419. *Damaſ.*

F 3 reg.

reg. 138. *Renuncianti verò non datur regressus ad renunciata.* l. 1. §. qui semel. de success. edict. l. postquam. C. de pact. l. Herennius. in pr. de evict. c. quam periculosum. 7. q. 1. *Et qui remisit actiones suas, iis amplius uti prohibetur.* c. si quis Episcopus. dist. 92. c. dudum. 18. q. ult. c. deniq;. 6. q. 3. *nam actio semel extincta, non reviviscit amplius.* l. si unus. §. sed si pactum. de pact. l. 98. §. aream. de solut. *nec displicere debet, quod semel placuit.* c. quod semel. de R. J. in 6.

Privatio partialis est, quæ tantùm tollit actum, non potentiam.

Ut tenebræ in aëre: ignorantia in intellectu. ita totaliter rem non amittimus, quoties ad eam recuperandam actionem habemus. l. 52. de acquir. rer. domin. l. 15. de reg. jur. *Ut rectè dixerit Gajus JC.* in l. 51. d. tit. *Non videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.*

Reg.

A privatione partiali ad habitum datur regressus.

Tenebris succedit lux: notitia ignorantiæ. Littus maris propter ædificium fit occupantis, sed ædificio dilapso redditur publicum. l. in tantum. in pr. de rer. divis. *contra inundatione ager fit publicus, illa verò recedente illius manet, cujus antea fuit.* l. alia. 24. d. t. *Sic restitutio*

tutio in integrum est amissæ caussæ seu rei redintegratio. l. 2. C. in quib. causs. in integr. rest. necess. non est. *Cujus caussæ impulsivæ sunt metus.* l. metum. 9. quod met. causs. *dolus.* t. t. de dol. mal. *ætas.* t. tit. de minor. vig. quinq; annis. & seqq. *status mutatio.* t. t. de cap. minut. *ubi Cujac.* in parat. *absentia, & deniq; rei alienatio judicii mutandi caussa facta. vid. D. Vult.* 2. J. R. 18. *Concludam hanc de oppositis materiam, quæstione illa multorum rixis atque sententiis nobilitata: An nimirum fœmina propter masculi existentiam à successione feudi semel exclusa, perpetuò exclusa maneat? Cujus quæstionis fundamentum in eo consistit, an exclusio illa sit partialis, an verò totalis. Posterius voluerunt omnes ferè feudistæ antiqui & moderni in lecturis, consiliis & decisionibus numero infiniti, quorum Catalogum exhibet Gylm.* tom. 2. symphor. Calv. part. 1. vot. 21. n. 16. & seq. *Prius placet D. Vult.* 1. F. 9. n. 52. & seq. *Gœdd.* disp. feud. 7. 9. 11. lit. e. *Rosenth.* c. 7. n. 96. *Mynf.* 5. O. 74. *D. Arum* disp. feud. 6. th. 13. *& aliis quos allegat D. Vult.* cons. Marp. 23. n. 24. vol. 1. *Quorum sententia etiam hac ratione probari videtur, quod exclusionis caussa cessante, cesset ipsa exclusio, per ea quæ supra* c. 3. *dixi. At verò exclusionis caussam faciunt masculi extantes. E. his non superstitibus fœmi-*

nas jure admittimus. Et quamvis fœmina à successione excludatur, non tamen à successione juris. D. Vult. d. c. 9. n. 53.

Cap. XVI.

De Paribus.

Comparata sunt argumenta, quæ inter se comparantur.

Reg.

Quicquid alicui comparatur, non est idipsum, cui comparatur.

Joh. Piscat. lib. 1. exercit. Log. 27. in fin. *Sic lata culpa dolo comparatur.* l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. dix. l. quod Nerva. 32. deposit. *E. non est dolus ipse. Sic statuta & pacta æquiparantur. Geil.* 2. O. 78. n. 3. *Hinc dicitur; simile non est idem.* l. 1. C. de veter. jur. enucleand. *gl.* in d. l. quod Nerva. c. innotuit. de elect. & c. 2. de translat. Prælat. *quod de adoptione, & unione prolium latè demonstrat Rickius* in tract. de unione prol. c. pen. *Geil.* 2. O. 44. n. 16. & seq. Et de pignorat. & arrestis, c. 2. n. 1. & seqq. *Ita licet arbitrium seu compromissum ad similitudinem judiciorum sit redactum.* l. 1. de recept. qui arbitr. *plurimæ tamen inter illa manserunt differentiæ. Panormit.* in c. quanta. de jurejur. *Donell.* 17. Com. 3. *Quæ caussa est,*

est, quod similitudo ad accuratè docendum parum conferat. Rud. Agric. de invent. lib. 1. c. 25. *Everh.* in loc. à minori. pag. 135.

Comparatio est contracta vel explicata.

Contracta est, quæ notis brevibus indicatur. Ut, homo bulla. Imago Creusæ par est ventis.

Explicata, quæ partibus suis plenius distinguitur, & explicatur.

Partes ejus sunt protasis & apodosis.

Protasis est pars prior, quæ habet argumentum.

Apodosis est pars posterior, quæ habet thema, h. e. id quod arguitur & explicatur.

Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, (protasis) quàm Medico multa funera, (apodosis.) Senec. lib. 1. de clement.

Explicata, est continua vel disjuncta.

Continua, quæ tribus terminis continuè cohæret.

Ut palma floret, ita & justus. Ut sententia contra pupillum seu minorem indefensum lata, ipso jure nulla est. l. acta. §. fin. de re judic. *ita etiam si lata fuerit contra Rempubl. indefensam, nulla est.* l. 1. C. de jure Reip. lib. 11. *Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas.* l. bona fides. 178. de reg. jur. *Aliud exemplum est* in l. parem. 192. d. t. *ubi Ulpianus*

F 5 ait:

ait: parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat: atq; ejus, cujus dolo malo factum est, quo minus possideret vel haberet.

Disjuncta, quæ 4. terminis disjunctè explicatur.

Quod appellatio interposita majoribus præstat, hoc beneficio ætatis consequuntur minores. l. Præses. 42. de min. 25. annis.

Sunt autem comparata duplicia, in quantitate, & qualitate.

Quantitas est, quâ res comparatæ quantæ dicuntur.

Comparata in quantitate sunt paria vel imparia.

Paria sunt, quorum quantitas est una.

De paribus vide tract. Dambuder. & N. Vigel. M. J. R. lib. 1. c. 1. *Legata fideicommissis per omnia sunt exæquata.* l. 1. de Legat. 1. *Par in parem non habet imperium.* l. ille à quo. 13. §. 4. ad SC. Trebellian. *Geil.* de arrest. p. 31. n. 3. *Qui non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit.* c. non inferenda. 23. q. 4. *Geil.* 1. de p. p. 16. n. 17.

Reg.

De paribus idem est judicium.

Huc pertinent Loci Everhardi, à contractibus ad ultimas voluntates: à liberto ad vasallum: à ser-

à servo ad Monachum: ab emphyteusi ad feudum: à Falcidia ad Trebellianica, & hujusmodi plures alii. Exempla regulæ sunt in l. arboribus. 12. §. de illo. de usufr. *ibi:* Qua ratione retinetur à proprietario possessio, etiamsi in fuga servus sit: pari ratione etiam ususfructus (*servi scil.*) retinetur. *Et* in l. qui scit. 25. §. porrò bonæ de usur. *Bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id juris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Sicut patri in filium moderata castigatio & objurgatio jure est concessa.* l. cum oportet. §. cum a. C. de bon. quæ liber. l. 3. C. de patr. potest. *ita & præceptoribus in discipulos.* l. 5. in fin. ad L. Aquil. *Senioribus in juvenes propinquos.* l. un. C. de emend. propinq. *domino in servum.* l. un. C. de emend. servor. *patrono in libertum.* l. Prætor. edixit. §. prætereà. de injur. *marito in uxorem.* l. si vir ex lana. de donat. int. vir. & uxor. *Simili modo paria sunt & habentur, aliquid factum non esse, & inutiliter factum esse. Hinc non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.* l. non videtur. 127. de reg. jur. *Nec videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.* l. 51. d. t. *Et nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* l. nihil interest. 112. eod.

Cap.

Cap. XVII.

De Imparibus.

Imparia sunt, quorum quantitas non est una. Impar est majus, vel minus.

Majus est, cujus quantitas excedit.

Argumentum igitur majoris est, cum majus arguit minus.

JCti appellant argumentum à fortiori. *Minore discrimine sumitur Princeps, quàm quaeritur. Tacit.* 1. histor. *Alteri non parceret, qui sibi ipse non parcit.* l. fin. de bon. eor. qui ant. mort. *Minus est actionem habere, quàm rem.* l. 204. de R. J. *Minus est fructus percipere, quàm cogere, percipitur uva vel spica, fructus cogitur: illa expressâ, hac excussâ. Cujac.* 11. O. 39.

Reg.

Si majus est, etiam minus est.

Seu, posito majore, ponitur etiam minus. Quod in re majori valet, id multò magis valebit in minore. Qui potest praestare rem majorem & difficiliorem, potest etiam praestare rem minorem, & faciliorem. Et ut JC. ait; Cui licet quod plus est, illi quoque licet quod minus est. l. non debet. 21. l. in eo. 110. in pr. de R. J. c. plus semper. 35. extr. eod. *V. g. Qui potest*

inpi-

invitis alienare, multò magis & ignorantibus, & absentibus potest. l. qui potest. 26. de reg. jur. *Cui datur actio, eidem multò magis exceptio competet.* l. invitus. 198. §. 1. de reg. jur. *Qui actum habet, & iter habet.* pr. Inst. de servit. rest. præd. *scil. interpretatione & per consequentiam, quatenus ejus usu actus non sit gravior, non ex natura servitutis, & constituti.* *Wes.* ad d. pr. n. 7. *Mulier se & corpus suum marito committit, ergò æquum est, ut & dotem illi credat.* l. 2. C. ne fidejuss. vel mand. dot. dent. *Fallit hæc regula, I. si id, quod minus est, expressè sit jure prohibitum. D. Vult.* in Inst. ad pr. quib. alien. lic. vel non lic. n. 20. *Hinc est, ut Præses provinciæ jus deportandi in insulam non habeat.* l. 1. §. deportatos a. de legat. 3. l. inter pœnas 6. §. 1. de interd. & relegat. *licet eidem jus gladii, & damnandi potestas sit concessa.* l. illicitas. 6. § 8. de offic. præsid. *II. fallit in materia statutorum. Bart.* in l. Cæsar. n. 25. de public. & vectigal. in verb. argumentari. *Cæterum valet hoc argumentum à majori ad minus tantùm negativè. Menoch.* de recuper. possess. remed. 15. n. 19. per c. cum in cunctis. de elect. *Pruckm.* consil. 49. n. 176. & cons. 50. n. 615. *Dissent. P. Gregor.* in tract. de appellat. lib. 5. c. 1. n. 8. per c. cui licet. de reg. jur. in 6.

Minus

Minus est, cujus quantitas exceditur.

Argumentum ergò minoris est, quando minus arguit majus.

Majore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur. Senec. Epist. 116. *Huc etiam possunt referri illa exempla, quæ paulò superius loco Majorum subjeci, si modo convertantur: puta; Plus est rem habere, quàm actionem. Plus est fructus cogere, quàm percipere.*

Reg.

Si minus non est, nec majus erit.

Sive, quod non valet in re minore, id multò minus valebit in re majore. Qui non potest minus, is multò minus poterit majus. Familiam non potest regere. E. multò minus Rempub. Non est dignus inferiori magistratu. E. multò minus superiori. l. qui indignus. de senator. *Non potest absolvere, ergò nec dispensare.* l. cum illorum. de sent. excom. *Ducuntur autem argumenta à minore ad majus affirmativè, non negativè. Oldendorp.* in Top. Legal. in loc. à minori. *Geil* 2. O. 78. n. 4. *vide tamen Keckerm.* lib. 3. syst. Log. sect. 2. c. 6.

Cap. XVIII.

De Similibus.

C*Omparata in qualitate sequuntur. Qualitas est, quâ res comparatæ quales dicuntur.*

Estq;

Estq; similium vel dissimilium.

Similia sunt, quorum eadem est qualitas. Imago animi sermo est. Senec. de morib. *Ingenii præclara facinora, sicut anima, immortalia sunt. Saluſt.* in Jugurth. *Exemplum sine vita:*

—— Herus unicus esto,
Unicus & Princeps.

Homer. iliad. β.

Pupillus infans, qui fari non potest, similis est furioso. §. pupillus. 9. de Inst. de inutil. stipul. *Claussulæ salutares libello adjectæ herbæ betonicæ assimulantur, eò quod omnia vitia libelli sanent. Geil.* 1. Obs. 61. n. 12.

Reg.

De similibus idem est judicium.

Cum impossibile sit omnes juris articulos lege complecti, l. non possunt. 12. de LL. *de similibus ad similia est procedendum. Everh.* pag. 79. & 122. *Nec enim illud solum lege continetur, & approbatur, quod verbis legis exprimitur, verum illud etiam, quod sententia & mente sive ratione legis per certam ratiocinationem indicatur & eruitur. Dn. Gœdd.* ad l. 6. §. 1. de V. S. n. 11. *Hujus igitur loci est forma argumentandi* à ratione legis, *quæ sic proponitur: Ubi est eadem ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio.* l. 32. ad L. Aquil. *Et ubi nulla apparet ratio diversi-*

versitatis, ibi non est diversum jus constituendum. gl. in l. à Titio. in verb. reddi. de Verb. Obligat. *Tutor & curator non possunt alienare bona pupillorum. E. neq; Imperator. Kirchner.* de Rep. p. 34. *plura exempla videri possunt apud* N. *Vigel.* in Dial. jur. p. 296. & seqq. *Huc etiam pertinet* Locus ab exemplo, *ubi facta similia inter se conferuntur, qui in jure est frequentissimus. Everh.* in præamb. Loc. Legal. n. 7. *Sic ad exemplum actionis de servo corrupto, recepta est actio de filiofam. corrupto.* l. ut tantum. 14. §. 1. de servo corrupt. *Et ad exemplum castrensis peculii, quasi castrense est inductum. Wesemb.* in procem. tit. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. n. 5. *Et ad exemplum pupillaris substitutionis exemplaris est introducta.* §. 1. Inst. de pupillar. subst.

Cap. XIX.

De Dissimilibus.

D*Issimilia sunt, quorum qualitas est diversa.*

Dispares mores dispaand studia sequuntur. Cic. Dissimilitudo est inter patrem & patronum, filium & libertum, eorumq; bona. Goedd. cons. Marp. 27. n. 181. vol. 1.

Reg.

De dissimilibus diversum est judicium.

Præ-

Præceptor non est Tyrannus. E. non debet discipulos crudeliter tractare. Religio Deum colit: superstitio violat. Senec. lib. 2. de Clem. *Non ut ex pluribus caussis deberi nobis idem potest: ita ex pluribus caussis idem potest esse nostrum.* l. 119. de reg. jur. *Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi.* l. non est. 136. eod. *Huc igitur refertur* Locus à cessatione rationis, *ex quo argumentum sic formatur: Cessante legis ratione cessat ipsa lex.* l. 1. in pr. ad L. Jul. de amb. *nisi sint plures rationes unius ordinationis.* §. adfinitatis. Inst. de nupt. l. liberorum. de his, qui not. infam. *vel impulsiva duntaxat caussa cesset, exemplo* l. 1. §. sexum. de postul. l. ult. C. de rescind. vend. l. 2. de donat. *Et Locus* ab exceptione ad regulam: *ex quo argumentum sic formatur: Exceptio in casibus exceptis vitiat regulam; in casibus verò non exceptis firmat regulam.* l. 1. de R. J. *Regula juris est, Vim vi repellere licet.* l. 3. de J. & J. *Vitiatur hæc regula, si ex intervallo quis vim sibi factam repulerit, aut moderamen inculpatæ tutelæ non servaverit.* l. 3. §. eum igitur de vi & vi armat. *Alia regula juris est, quod ea, quæ nullius sunt, occupantis fiant.* §. fere item. Inst. de rer. divis. l. 3. de A. R. D. *Verùm subvertitur hæc reg. in homine libero, re-*

G bus

bus sacris, aliisq; omnibus, quæ in dominio esse nostro non possunt. l. 1. §. 1. l. 6. de rer. divis. §. nullius. cum duob. seqq. Inst. eod.

Cap. XX.

De Conjugatis.

HActenus argumenta prima sunt explicata; sequuntur orta de primis, quæ perindè sunt ad id, quod arguunt, sicut prima undè oriuntur.

Eaq; vel nominalia sunt vel realia.

Nominalia sunt, quæ vocem arguunt, & explicant.

Suntq; conjugata, & notatio.

Conjugata, sunt nomina ab eodem principio variè deducta.

Ut, justitia, justus, justè. hereditas, heres, herus. Bonus fruitur bonâ conscientiâ. Senec. lib. de morib. Potentes potenter tormenta patientur. Sapient. 6.

Reg.

Quod uni conjugatorum tribuitur, cæteris etiam suo modo convenit.

Seu conjugatorum uno posito, ponitur & alterum. Dd. in l. damnato. C. de hæret. & Manich. *Ut procurator est. E. habet jus pro alio procurandi.* l. 1. l. ignorantia. l. pen. & ult. de procurat. *Civitatem amisit. E. non est civis.* §.

cum

cum a. Inst. quib. mod. mod. jus patr. potest. solv. *Leges sanctione quadam sunt subnixæ, E. sanctæ sunt*. l. 9. §. 3. de rer. division. *quam ob caussam JCti sacerdotes appellantur* l. 1. §. 1. de Just. & jur. *Hinc si testator legat cognationi, perindè est, ac si cognatis legaret*. l. si cognatis. 20. in fin. de reb. dub. *Fallit hæc reg. I. Si quis ad solum actum respiciat. Non enim sequitur; Tutor est, E. tuetur*. Nov. 72. *sed benè sequitur. E. pupillum tueri potest & debet*. l. 1. de tutel. *II. Si ambiguitas sit in verbis: Sic pecudes errare possunt; errones dici non possunt; fugiunt plerunq; nec tamen sunt fugitivæ. Gœdd*. ad l. 85. n. 2. de V. S.

Cap. XXI.

De Notatione.

N*Otatio est nominis è sua origine interpretatio.*

Ab Arist. vocatur definitio nominis, 2. Top. 2. *definitio nominalis*. 2. Poster. 10. *item locus à nomine*. 2. Rhet. 23. *Et ab aliis symbolum, Etymologia, paraphrasis, phraseωs interpretatio. Cæterùm quamvis diversitas nominum quandoque diversitatem pariat rerum*. l. si eidem de jure codicill. *illud tamen universale non est, sicut dicitur, conveniunt rebus nomina* sæpè *suis. Nam error & discordia in nomine non vitiat*

dicta testium. arg. l. idem Pomponius. §. cum de rei vindic. l. in venditione. §. nihil. de contrah. empt. *Nec singulares aut varii testes dici possunt, quando in effectu in eo conveniunt, de quo controvertitur. August. Berojus* cons. 175. n. 55. p. 3.

Notatio desumitur ex omnibus argumentis primis, tum consentaneis, tum dissentaneis, tum deniq; comparatis.

Ut, ex caussis, Senatusconsultum à Senatu. §. 5. Just. de J. N. G. & C. *homo ab humo. Oppidum ab ope dicitur, quod ejus rei caussa mœnia sint constituta.* l. 239. §. 7. de Verb. signif. *Ex effectis, focus à fovendo dicitur. Jureconsultus, quia de jure consilium dat. Ex subjectis; Carea dicitur, quia Cardinis Dea est, h. e. occupata circa Cardinem. Ex adjunctis, Bambalio dicitur, quia balbus. Edissent. Bellum, quasi minimè bellum. Ex comparat. Pyropus, quod luceat instar ignis.*

Reg. I.

Unius vocis plures possunt esse notationes, vel æquè probabiles, vel una aliis probabilior.

Sic bellum aliis dictum est, q. non bellum: Scaligero quasi duellum, lib. 2. Poët. c. 90. *JCti à Græco βέλος derivant, quod significat telum, quia telis utrinq; bellum geritur.* §. item Lex Corne-

Cornelia. Inst. de publ. judic. *Homo aliis ab humo, sed Scaligero ab ὁμῶς, id est, simul deducitur, quia homo est animal sociale. Lucus vulgò, quod non luceat; Scaligero, quod sacrificiorum ignibus perpetuò luceat, dictus videtur. Jus alii à jussu seu jubendo, alii à justo, alii denique à justitia deductum volunt, quos refert Val. Forster.* p. 1. disp. 1. q. 17. *Dominium alii à domini voce, alii à domando, multi à domo derivant. Donell.* 9. comment. 8. *Wesemb.* in ϖ. de acquir. rer. dom. *Sed Förstero deducere placet à græco δωμάω.* lib. 2. Observ. c. 1. *Postumus dicitur, quia posterior natu. Cujac.* 3. O. 4. *Ant. Merc.* 2. Not. 2. *vel quasi post humatum natus.* l. 3. §. 1. de injust. rupt. irr. & t. tit. de postum. hered. instit. *Contius* lib. 1. disp. c. 15. *Convenientius autem est notationem sumere à forma, vel fine, quam ab adjuncto aliquo vel simili. Zabarell.* in lib. 1. poster. Analyt. p. 11. *Everb.* in loc. ab Etymol. n. 3. & seqq. *Dn. Gœdd.* ad l. 5. n. 6. & ad l. 164. n. 6. de Verb. signif.

II.

Cum notatio est adæquata notato, tàm affirmativè, quàm negativè valet consequentia.

Magni est animi. E. est magnanimus. Et contra: est magnanimus, ergò est magni animi. Dat consilium. E. est Consiliarius. Non dat consilium. E. non est Consiliarius.

 III. Cum

III.

Cum notatio latius patet notato, consequentia tantum valet negativè.

Ut; *Non est multis communis cibus. E. non est cœna. Cœna enim dicta, quia κοινῇ vescerentur, non privato demenso diurno. Scal. Non est de meo tuum: ergò non est mutuum.* l. 2. §. appellata. de reb. cred. pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. *Non est precibus impetratum. E. non est precarium.* l. 1. & 2. de precar. *Affirmativè non procedit: Est precibus impetratum: ergò precarium. Nam & mutuum precibus impetratur.* l. rogasti. de reb. cred. *De meo tuum est factum. E. est mutuum. potest enim esse donatio, quia nimirum notatio est latior re notatâ, & à genere ad speciem non valet argumentum affirmativè*, ut cap. seq. *dicam.*

Cap. XXII.

De Genere.

ORta realia sunt, in quibus argumentandi vis consistit in rebus ipsis.

Oriuntur ex consentaneo tantum, vel etiam ex dissentaneo.

Ex consentaneo tantum est Totum & Pars.

Totum est, quod continet partes.

Estq́; genus vel integrum.

Dn. Philipp. Melanth. nomen totius & partis

tis accipit angustius. Totum enim tantum assignat integro: partes verò tantum membris. At generaliter hîc totum genus & integrum; partes, species & membra sub se comprehendunt.

Genus est totum partibus essentiale.

H. e. quod omnem suam essentiam subjectis speciebus communicat; ut animal totam suam essentiam & naturam homini & bruto tribuit.

Ita alienatio genus est, omnemq; actum, per quem dominium transfertur, denotat. l. 1. C. de fund. dotal.

Reg. I.

Posito genere ponitur species, sed indeterminata.

Est animal, ergò homo vel brutum. Est conventio. E. pactum vel contractus. l. 7. in princ. de pact. *Quando autem Logici dicunt, à genere ad speciem tantum negativè duci argumentum, loquuntur de certa & determinata speciei illatione. Ideò non valet: Est conventio: ergò contractus; potest enim esse pactum. Sic generalis transactio de alimentis quibusdam non porrigitur ad omnes species. Gœdd.* ad l. 44. n. 7. de Verb. signif. *Hæc ita se habent si genus simpliciter ponatur. Posito autem genere universo & generali, ponuntur omnes species. Beuerhus.* in part. 3. pædag. de gener. & spec. *quia semper generalia specialibus insunt.* l. semper. 189. de

reg. jur. *Et qui omne dicit, nihil excludit.* l. Julianus de leg. 3. *Neq; nostrum sit distinguere, ubi lex non distinguit.* l. 8. de publ. in rem act. *ac propterea hoc casu generalia verba generaliter sunt accipienda.* l. 1. de legat. præst. l. regula. §. fin. de jur. & fact. ign. l. 1. § cum urbem. de præf. urb. *Exempla sunt* in l. 22. in pr. de servit. urb. præd. *ubi Pomponius ait:* Si ita sit cautum, ne luminibus officiatur: ambigua est scriptura, utrum ne his luminibus officiatur, quæ nunc sunt, an etiam his, quæ postea quoq; fuerint? Et humanius est, verbo generali omne lumen significari, sive quod in præsenti, sive quod post tempus conventionis contigerit. *Et in* l. item apud Labeonem. 15. §. generaliter. de injur. *Ubi generaliter vetuit Prætor ad infamiam alicujus quid fieri. Proindè quodcunq; quis fecerit vel dixerit, ut aliquem infamaret, erit actio injuriarum. Hujus reg. exceptio I. est si species aliqua nominatim sit excepta,* arg. l. in toto jure. 80. de reg. jur. *Exemplum proponitur* in l. 4. §. fin. de penu legat. *ubi Paulus ait;* si cui penus legata sit præter vinum: omnis penus legata videtur, excepto vino. *II. aut de specie proposita specialiter cautum sit,* arg. l. uxorem. 39. §. felicissimo. de legat. 3. *ubi sub generali legato non continentur ea, quæ aliis specialiter*

sunt

ſunt legata. Plura exempla vide in l. doli 29. de Verb. Obl. l. ſanctio. 41. de pœn. l. quæſitum 76. §. 1. de leg. 1. l. ſervis. 97. §. fin. eod. tit. *III. aut diſponens generaliter de ſpecie admonitus, eam excepturus fuiſſet.* l. obligatione. 6. cum 2. ſeqq. de pignor. & hypoth. l. quæro. 54. §. inter locatorem. locat. l. creditor. §. Lucius Titius. mand. *Aut IV. abſurdus intellectus indè ſequatur. Lanfranc.* in c. quoniam. in pr. extr. de probat. *Mynſ.* reſp. 10. n. 46. usq; ad n. 56. *quomodo ſpecialis præſumptio generali derogat, eamq́ tollit. Bart.* in l. cum de indebito. 1. in pr. de probat. *Cravett.* conſ. 258. n. 21. *Weſemb.* conſ. 4. n. 68.

II.

Remoto genere removentur omnes ſpecies.

Everh. in loc. à genere ad ſpec. n. 1. *D. Vult.* 1. F. 3. n. 3. *Ita ſi alienatio rei prohibita ſit, etiam pignoris & uſusfructus datio, itemq́ ſervitutis impoſitio cenſetur prohibita.* l. ult. C. de reb. alien. non alien. *Pupillus ſine tutoris autoritate ullam rem alienare non poteſt.* §. 2. Inſt. quib. alien. lic. vel non lic. *E. nec ſine eo uſucapi pati poteſt.* l. bonæ fidei. verb. veluti ſi pupilli ſit. de acquir. rer. dom. l. fin. C. pro empt. l. 3. quib. non objic. long. temp. præſcript. l. apud Celſum. §. ſi quis non tutor. de dol.

mali except. *Nam & eum alienare dicimus, qui patitur usucapi.* l. 28. de Verb. signif. *Sic etiam compromissum, cum sit species alienationis, non potest fieri ab eo, qui non potest alienare.* c. cum tempore de arbitr. *Dec.* conf. 39. n. 4. conf. 445. n. 27. *Paris.* conf. 134. n. 11. vol. 4. *Hinc etiam arresta regulariter sunt prohibita* c. 2. de sequestr. poss. & fruct. c. cum teneamur. de appellat. l. un. C. de prohibit. pec. sequestr. *Sunt enim species executionis. Atqui ab executione judicium inchoandum non est.* l. 1. C. de execut. rei judic. *Geil.* de arrest. c. 1. n. 10. *Exceptiones hujus regulæ, vide in reg. proximè antecedente.*

Estq; genus aliud perfectum, aliud imperfectum.

Perfectum, quod essentiam speciebus communicat ex æquo.

Ita animal est genus perfectum hominis & bruti. Conventio pacti, & contractus. quia ratio essentiæ utrobiq; est eadem, nec enim minus pactum, quàm contractus est conventio, nihilq; de conventione dici potest, quod de pacto & contractu dici non possit.

Genus imperfectum, seu analogum est, quod speciebus suis essentiam non communicat ex æquo, sed alteri magis alteri minus.

Tale genus est Ens, ratione substantiæ & accidem-

cidentis. Accidens enim est imperfectius substantiâ. Scal. ex. 10. & exerc. 307. sect. 27. *Perer.* lib. 1. Philos. natur. c. 17. *imò vicinum nonenti. Scal.* d. exerc. 10. *Perer.* lib. 5. Phil. natur. c. 15. *& non ens. Scal.* d. exerc. 307. s. 24. *substantia verò totam sibi entitatem arrogat, ita ut eam accidens non habeat, nisi in ordine ad substantiam, quatenus videlicet ab ea pendet, inq; suo sinu fovetur. Keck.* lib. 1. syst. Log. sect. 1. c. 3. *Undè dicitur mensura accidentium. Goclen.* part. 1. Concil. Philos. pag. 13. *Sic etiam Status Reipub. seu regimen est genus imperfectum, respectu Monarchiæ, Aristocratiæ, & Democratiæ. Posteriores enim duæ species eatenus sunt laudabiles, quatenus in se habent similitudinem quandam Monarchiæ, atq; adeò ad unitatem reducuntur. Keck.* lib. 1. Polit. c. 1. *Philipp. Camer.* in hor. subcis. cent. 1. c. 88. *Thom. Morus* in Utopia lib. 1. c. 2. *Eodemq; modo Testamentum est genus imperfectum, cujus species primaria est testamentum in specie sic dictum, secundaria, Codicillus. Quando igitur negatur Codicillum esse testamentum, intelligendum, id est, de testamento perfecto, h. e. de specie perfecta & principaliori, non de testamento in genere.*

II. Genus aliud est summum, aliud subalternum.

Summum, quod aliud non habet supra se genus.

Estq;

Estq́; aliud simpliciter summum, aliud secundum quid. Simpliciter summum est Ens. Secundum quid summum in Dialectica est argumentum: in jure actus civiles.

Subalternum, quod ita est genus inferiorum, ut simul sit species superiorum. Sic animal genus est, & species. Genus respectu bruti & hominis, species respectu corporis vivi, & superiorum. Jus scriptum respectu legis, SCti, plebiscitι, est genus, species autem respectu juris. Contractus genus est respectu mutui, commodati, depositi &c. species respectu conventionis.

Estq́; remotum vel proximum.

Remotum, quod longius à specie distat.

Ut, conventio est genus remotum mutui, commodati, emptionis, venditionis, stipulationis, &c.

Proximum, quod immediatè speciei adjacet.

Ut contractus, mutui, commodati, depositi, &c.

Cap. XXIII.

De Integro.

INtegrum est, cui partes sunt essentiales.

Notetur hoc loco differentia, quæ est inter genus & integrum, item inter speciem & membrum. Genus speciebus dat essentiam; integrum à membris accipit. Genus de speciebus prædica-

tur

tur in casu recto: integrum de membris non item. Rectè enim dico, homo est animal: non autem rectè dicitur anima rationalis est homo.

Reg. I.

Posito integro, ponuntur partes.

Seu, ut JCti dicunt; Quod disponitur in toto, in qualibet ejus parte dispositum intelligitur. Vel, quod juris est in toto quoad totum, idem juris est in parte quoad partem. l. quæ de tota. 76. de rei vindic. l. si servus. de acquir. hered. l. jurisgentium. §. adeò. de pact. *Hinc, qui totum legat, vel vendit, aut donat, quamlibet partem legasse, vel donasse intelligitur.* l. Lucius de fund. instr: l. grege. de legat, 1. l. peculium. de legat. 2. *Et ob partis evictionem committitur stipulatio, nec liberatio continget, perindè ac si tota res evinceretur.* l. si quis aliam. 46. de solut. l. 1. in pr. de evict. *Hinc etiam responsio de toto, de qualibet ejus parte facta censetur, ac proindè positio partim vera & partim falsa absq; metu perjurii simpliciter negari non potest. Geil.* 1. Observ. 82. n. 17. *Hinc deniq; cui permissum est totam caussam delegare, eidem quoq; caussas istius partes licebit delegare.* c. pastoralis. §. 1. de offic. deleg. *Fallit hæc regula. I. quando dispar est ratio totius & partis.* l. 8. §. sed nec impuberis. vers. nisi si pro parte. de inoffic. testam. l. vir uxori. 17. §. fin. ad SC.

Vel-

Vellej. l. 2. C. de non numer. pec. l. qui solidum 80. in pr. de legat. 2. l. ex mille. 64. in pr. de evict. *Tiraquell.* de retract. §. 1. gloss. 7. n. 46. *Vel II. in parte aliud singulariter sit constitutum.* l. si unus. 28. §. item si in fin. de pact. l. 62. de acquir. rer. dom. l. Cajus. 88. §. Titius. in fin. de leg. 2. l. si dictum. 56. §. in stipulatione. de evict. l. nave. 36. eod. tit. *III. Si revera pars totius non fuerit, sed abusivè tantum. Everh.* in loc. à toto ad partem. *Itaq; de fructibus idem dici non potest, quod de ipso fundo.* l. in actibus. §. 1. l. cum de donatione. de donation. *etiamsi pendentes pars fundi dicantur.* l. arboribus. §. Julianus. de usufr. *Gœdd.* ad l. 25. ult. de Verb. signific. *Non deniq; IV. procedit in individuis. Everh.* d. lo. n. 7.

II.

Negato toto necesse est negari partes.

Potestas patria est pars juris civitatis. pr. Inst. de patr. potest. *Atqui deportati.* § 1. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. *& banniti, Geil.* 2. de pac. publ. 12. n. 1. & seqq. *totum jus civium amittunt, suntq;* ἀπόλιδες. l. 1. § hi quib. de leg. 3. *Ergò & patriam potestatem eos amittere consequens est.* d. §. 1. *Pupillare testamentum pars est paterni, quod si non valet, nec illud valebit.* §. liberis autem. de pupill. subst.

Cap.

Cap. XXIV.

De Specie.

P*Ars est, quæ continetur à toto.*
L. in toto. 113. de reg. jur. *Atq; hinc patet, usumfr. propriè non esse partem dominii.* l. 25. de Verb. signif. *nec usum usufructus. Nimirum partes non sunt extra totum: at verò usufructus à dominio seu proprietate*, l. si cum 21. §. si fundum. de except. rei judic. l. cum in fundo. 78. in pr. de jure dot. *& usus ab usufructu.* l. per servum. 14. §. fin. de usu & habit. l. hinc stipulationi. 5. §. ergò. de usufr. *separari possunt. Atq; hinc est, ut quis possit habere dominium absq; usufructu, & contra, usumfructum absq; dominio: item usufr. absq; usu, & contra. Siquidem usus separatum quoddam jus est ab usufructu. Nec usufructuarius fruitur re jure usus, sed jure ususfructus. D. Vult.* 1. J. R. 63. n. 17. *Neq; his quicquam obstat* l. locus. 60. de Verb. signif. & l. si quis. 6. §. 1. commun. præd. *ubi pars à toto separatur. Respondeo enim partes à toto separatas amittere partium nomen, & assumere nomen totius*, per d. l. si quis. 6. *ubi Ulpianus ait:* partes à fundo separatas, non amplius esse partes fundi, sed fundum: idemq; in ædibus verum esse, ut si dominus pariete medio ædificato unam

domum

domum in duas diviserit, pro duabus domibus accipi debet.

Reg. I.

Quod est partis, quâ pars, id etiam est totius secundum illam partem.

Ut, anima hominis est immortalis, E. etiam homo secundum animam. Concordat cum hac, JCtorum regula: Idem juris esse debet de parte, quoad partem, quod de toto quoad totum. Everb. in loc. à tot. ad part. n. 3. & seq. l. quæ de tota. de rei vindic. l. qui scit. in pr. *& ibi gloss.* de usur. l. 21. in pr. de furt. *Hinc si ex asse heres destinaverit partem habere hereditatis: videtur in assem pro herede gessisse.* l. si ex asse. 10. de acquir. hered. *Et si major pars bonorum sit feudalis, reliqua etiam bona feudalia esse præsumuntur, nisi contrarium probetur.* c. 1. §. fin. de controv. int. masc. & fœm. *Curt.* part. 2. in 2. quæst. pr. n. 40. *Fallit hæc reg. si partis & totius diversa sit ratio.* l. qui procuratorem. 56. de procurat. *Undè is, qui pro parte liberatus dicitur, in solidum liberatus dici non potest.* l. stipulatus sum. 9. §. 1. de solut. *quia ratio particularis liberationis, quæ est solutio, in toto, quod solutum non est, cessat. vid. N. Vigel.* Digest. lib. 48. cap. 9. except. 15. *Item, si aliud à jure dispositum reperiatur in parte, & aliud in toto. Everb.* d. lo. n. 7.

II. Po-

II.

Positis partibus omnibus ponitur totum.

Sic JCtus in l. 1. de Orig. jur. In omnibus (*ait*) animadverto, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constat. *Cui suffragatur Paulus, qui* in l. rectè. 25. de Verb. signif. *inquit:* Totum meum esse, cujus non potest ulla pars dici alterius esse.

III.

Negatis partibus omnibus, negatur totum.

Imò destructâ unâ principali parte totum destruitur. Ut, si domui solum vel superficies desit, domus appellari non debet. l. eum qui ædes. de Usucap. *Nec obstat, si dicas, universitatem manere eandem, etiamsi personæ mutentur, vel moriantur. Siquidem species non tolluntur, sed singularia tantum, in quorum locum alia substituuntur, eademq; pro iisdem habentur.* l. sicut. §. in Decurionibus. Quod quisque univers. nom. l. proponebatur. 76. de judic. *Sic etiamsi grege legato, aliqua pecora, vivo testatore mortua essent, in eorumq; locum alia essent substituta, idem grex videtur.* l. si grege. 22. in pr. de legat. 1. *Ita quoq; si domus fuerit legata, licet particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia supersit: tamen dicemus utile manere legatum. At si eâ domo destructâ, aliam eo-*

H dem

dem loco testator ædificaverit; dicemus interire legatum, nisi aliud testatorem sensisse fuerit adprobatum. l. si ita. 64. §. fin. de leg. 1.

Pars est species vel membrum.

Vid. Dn. Gœdd. in l. 25. n. 5. & 6. de Verb. signif.

Species est pars generis.

Vinea, arbustum, pratum, villa, hortus sunt species fundi. Brechæ. in d. l. 25. n. 12. & seqq. *phtisis & febris sunt species morbi.* l. 1. §. 7. de ædil. edict. *Avium species sunt anseres, phasiani, gallinæ.* l. 66. de leg. 3. *Culpæ species sunt imperitia.* l. 174. de reg. jur. *præceptoris nimia sævitia.* l. 5. §. fin. cum l. seq. ad L. Aquil. *immisceri se rei ad se non pertinenti.* l. 36. de reg. jur. *Dixi, speciem esse partem generis; scil. ratione divisionis generis, Scal.* exerc. 307. sect. 21. *nam ratione constitutionis genus est pars speciei. Goclen.* lib. 1. Instit. Log. p. 130. *Ita homo est pars animalis, ratione divisionis; nam animal dividitur in hominem & bestiam, veluti partes: sed & animal est pars hominis, ratione definitionis & constitutionis; quia est pars in definitione hominis, ejusq; naturã constituit. Undè dicit Scalig.* 5. de causs. lat. ling. c. 100. *omnem speciem naturam sui generis continere. JureConsulti hæc ita exprimunt, atq; dicunt, speciem inesse generi comprehensivè: genus verò inesse*

esse speciebus positivè, & illativè. Everh. in loc. à specie ad genus. n.3. *Sic dolo* (generi) *fraus* (species) *inest* (comprehensivè.) l. jurisgentium. §. sed si fraudandi. in fin. de pact. *Hoc est, sub dolo continetur fraus, sicuti sub animali homo. Eodemq; modo fructui usus inest,* l. per servum. §. 1. de usu & hab. *Genus autem speciei inest illativè, & per consequentiam: nam specie posita, infertur genus: ut, emptum est, E. paratum.* l. si quid earum. §. inter emptum. de legat. 3. *Ex quibus intelligi potest, quando argumentum à genere ad speciem valeat: Valet, inquam, arg. à genere ad speciem contentivè sive comprehensivè; veluti sublato animali, tolluntur ejus species, homo & bestia: Non valet illativè, veluti animal est. E. homo est. D. Gœdd.* in l. 2. de V. Signif. n. 11. *Everh.* in loc. à specie ad genus. n. 5.

Reg. I.

Posita specie, necessario ponitur genus.

Homo est. E. animal. Mutuum est. E. creditum est. Est contractus. E. conventio. Ex hac reg. infero: Unius generis plures esse species. Eo enim ipso quo generis species una ponitur, quæ præter suam formam, materiam habet communem, Scal. exerc. 307. f. 22. *Perer.* lib. 2. Phys. nat. c. 2. *Keckerm.* lib. 1. syst. Log. sect. 1. c. 3. p. 47. & seq. *utiq; etiam affirmatur, plures ejus*

generis species esse, quibus materia illa sit communis.

II.

Negata una specie, non statim genus est negandum.

Puta, non est homo. E. non est animal. Potest enim esse bestia. Non est contractus, E. neq; conventio. quia potest esse pactum. Ita legatum generis non extinguitur interitu speciei. Wesemb. in §. si res legata. n. 1. Inst. de legat. *Ita negatâ rapinâ, quæ est furti species.* pr. Inst. vi bon. rapt. *non continuò negatur furtum.* l. 28. §. si quis juraverit. de jurejur. *Et hoc est, quod Quintilianus ait* lib. 5. c. 10. *Species infirmam generis refutationem habet.*

Species est perfecta, vel imperfecta.

Perfecta, quæ sub genere perfecto continetur.

Imperfecta, quæ subjicitur generi imperfecto.

Exempla vide suprà cap. 22.

Deinde species alia est subalterna, alia infima.

Subalterna, quæ est species superioris, genus verò inferioris.

Sic homo est species animalis; & genus singulorum hominum, ut Adami, Evæ, Pauli, Johannis, &c. Sicuti enim animal se habet ad hominem & brutum, ita se habet homo ad singulos homi-

homines. E. si animal rectè dicitur genus hominis & bruti, pari ratione homo rectè appellatur genus singulorum hominum. Quæ sententia adstipulatores habet viros undiquaq; doctissimos. Nam Aristoteli ipsi homo est genus singulorum hominum, lib. 7. de hist. animal. c. 13. lib. 4. de generat. animal. c. 4. & 6. *Item* lib. 3. Metaph. c. 4. *ait: Extrema seu ultima genera supra individua sunt, ut homo. Sic ab eodem dicitur genus piscium.* lib. 3. de generat. animal. c. 4. *Genus columbinum.* c. 6. *corvinum genus, avium genus.* ib. c. 5. *Ita etiam dixit Horat.* 2. Od. lib. 1. *Piscium genus. Plautus; Jupiter, qui genus colis, alisq; hominum. Luc.* lib. 1. *Herbarum genera. Senec.* epist. 39. *Homo genus est, habet enim in se nationum species, Græcos, Romanos, Parthos. Sic etiam JCti speciem facti vocant hoc factum.* l. certa condictio §. quoniam. si cert. pet. *Ulpianus* in l. inter stipulantem. 83. §. sacram rem. de Verb. Oblig. Vini (*ait*) non speciem, sed genus stipulari videmur. *Julianus* in l. 54. in pr. eod. tit. In stipulationibus alias species, aliàs genera deducuntur: cum species stipulamur &c. *ubi per species intelligit Stichum, Pamphilum, per hominem genus. Paulus* in l. 2. si cert. pet. Mutuum damus, recepturi non eandem speciem, quam dedimus, sed idem genus. *Idem*

in l. 3. §. 21. de acquir. possess. *Genera possessionum tot sunt, quot & caussæ acquirendi ejus, quod nostrum non sit, veluti pro emtore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro suo. Cur igitur non imitamur potius Jureconsultos, hoc est, Reipubl. Principes, Aristotelem, Horatium, Senecam, Plautum, qui humano & naturali hominum more loquuntur, qui hominem genus dicunt Alexandri, Alexandrum speciem hominis, quam Porphyrium & ejus asseclas, qui naturalis usus exemplis destituuntur.*

Infima species est, quæ in alias species dividi nequit.

Qualis est quælibet res singularis, & unica per se: Eademq; dicitur singulare, Individuum, species specialissima. Item unum numero. Et specimen exemplum. Hujus igitur loci est argumentum desumptum ab exemplo, *quod ita formatur: Affirmatis probatis exemplis, affirmatur thesis: Et, negatis probatis exemplis, negatur thesis. Quod enim exemplo fit, vel non fit, id jure vel non jure fieri putatur. Sic Ulpianus probaturus cæcum posse magistratum acceptum retinere, producit exemplum Appii Claudii cæci, dicens: Nunquid cæcus magistratus gerere potest? Et melius est, ut dicamus, retinere quidem jam cæptum magistratum posse, adspirare autem ad novum penitus prohiberi. idq; multis*

com-

comprobatur exemplis. l. 1. §. 1. de postuland. *Legum tamen potior habenda est ratio, quam exemplorum,* arg. l. nemo judex. 13. C. de sent. & interloc. jud. *ibi : Non exemplis, sed legibus judicandum. Nec spectandum est, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat.* l. 12. de offic. Præs. *A pluribus exemplis demonstratio petita dicitur* inductio, *quæ ejusmodi debet esse, ut non possit dari dissimile exemplum. Ut, neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emptio, neq; locatio rei suæ consistere potest.* l. 45. de reg. jur. *E. nullus contractus rei suæ consistere potest.*

Cap. XXV.

De Membro.

MEmbrum *est pars integri.*

Seu est, quod integrum constituit. Citatio est pars & fundamentum processus. c. pastoralis. §. primò. de offic. de legat. *Responsa prudentum sunt pars juris Civilis.* l. 2. §. his legibus latis. de orig. jur. *A JCtis dicitur pars pro indiviso, & naturalis. Partes enim illi alias faciunt pro diviso, quas Dialectici vocant species generis; alias pro indiviso, seu membra integri. Genera enim cum in species dividuntur in partes pro diviso, seu partes discretas dividuntur. Integra verò dividua sunt partibus pro in-*

diviso, h. e. membris: non pro diviso, seu speciebus. Nam si pro diviso hæ partes efficerentur, integri partes amplius non forent, sed separatæ à suo toto, aut effectum illud suum tollerent, ac delerent, aut profectò per se novæ species fieri inciperent, per ea quæ superiori capite in pr. dixi. Gœdd. in l. 25. n. 17. de Verb. signif.

Cap. XXVI.

De Divisione.

HActenus de argumentis ortis ex consentaneis tantum; sequuntur orta ex consent. & dissentaneis.

Eaq́ sunt distributio & definitio.

Nam in his consideratur tum consensus partium cum toto, tum dissensio partium inter se. Polan. lib. 1. Logic. pag. 103.

Distributio est, cum totum in partes distribuitur.

Nihil penè est, quod ad obscuras quæstiones illustrandas æquè valeat, atq; divisio. §. sed non usq; Inst. de legat. l. 1. *ubi gloss.* de except. *Undè Socrates apud Platonem profitetur, se ejus vestigia, qui sciat unum & multa discernere, h. e. distribuere, tanquam Dei secuturum.*

Reg. I.

Quod dividitur, id partes habeat, necesse est.

Scal.

Scal. exerc. 65. ſect. 5. *Gocl.* lib. 1. part. Log. p. 82. *Quæcunq; igitur res partibus carent, etiam pro indiviſo & intellectu per ſe ſunt individuæ.* l. ſtipulationes non dividuntur. de Verb. oblig. *Cujusmodi eſt ſervitus perſonalis, ſui natura individua, ideoq; tota à toto prædio, & qualibet ejus parte debetur.* l. 9. l. 26. l. 23. de ſervit. ruſt. præd. l. 11. pro parte. l. 6. l. 8. de ſervit. *per accidens verò, h.e. propter utilitatem fit dividua.* l. 5. de uſufr. l. 1. §. ſi uſusfr. ad L. Falc. l. arbor. 19. §. fin. commun. divid. *Hotoman.* quæſt. illuſtr. 20. *Gœdd.* in l. 25. n. 18. de Verb. ſignif.

II.

Partes diſtributionis cum toto debent conſentire, inter ſe verò diſſentire.

Itaq; tantò accuratior erit diſtributio, quantò partium cum toto conſenſio, & earundem inter ſe diſſenſio major fuerit. Hinc concluditur, erroneam eſſe diviſionem æquitatis in ſcriptam & non ſcriptam, quia membrum prius toti repugnat. Nulla ſiquidem æquitas ſcripta eſt, ſed quæ ſcribitur æquitatis nomine amiſſo tranſit in nomen juris. D. Vult. in com. Inſt. ad §. 2. n. 3. de juſt. & jure.

III.

Diſtributio quantum fieri poteſt, bimembris eſto.

Jurisprudentiæ Romanæ partes tres constituunt Cajus in l.1. de j. & j. *& Imp. Justinianus* in §. ult. Inst. de J. N. G. & C. *nimirum personas, res, & actiones, quæ ad dichotomiam ita à D. Vultejo revocantur, ut jus aliud sit absolutum, aliud relatum: illud versatur circa personas & res; hoc verò circa actiones.* lib. 1. Jurispr. Rom. c. 4. n. 1.

Distributio est vel è caussis, vel ex effectis, vel è subjectis, vel ex adjunctis.

Distributio è caussis est, cujus partes sunt caussæ totius.

Eaq; ex singulis caussarum generibus esse potest. E fine *jus aliud publicum, aliud privatum dicitur.* §. fin. Inst. de just. & jur. *Sic prædia ex usu & fine in urbana & rustica dividuntur.* l. urbana. 198. de verb. signif. l. 1. C. de præd. & al. reb. *Gœdd.* in d. l. 198. n. 1. *Ex* efficiente *jus divisum est in naturale, gentium & civile.* pr. Inst. de J. N. G. & C. *Et feudum in masculinum, & fœmininum.* c. 1. de feud. fœmin. & c. 1. de nat. success. feud. *Novum & vetus.* c. 1. in pr. per quos fiat invest. c. 1. vers. de veteri. qui testa. sunt necess. c. 1. de invest. vet. & nov. benef. *Nobile & ignobile.* c. 1. quis dicat. dux. *E* materia: *Ut, Antiqui seculi magna fuit severitas, non admittentis supellectilem argenteam.* l. 3. in fin. de supell. legat. *Fictili enim*

enim aut lignea, aut vitrea deniq; supellectile utebantur: nunc ex ebore atq; testudine & argento, jam ex auro etiam atq; gemmis supellectili utuntur. l. Labeo. 7. §. 1. eod. tit. *E forma: Vasorum alia rotunda sunt, alia quadrata, &c. Animal vel rationale est, vel irrationale.*

Hîc distributio integri in sua membra excellit, quæ usitatè partitio dicitur.

Mundi partes sunt cœlum, & terra. Hominis; corpus & anima.

Distributio ex effectis est, quando partes sunt effecta.

Eaq; itidem esse potest ex effectis singularum caussarum. Ex effectis finis: *Figulus vasa facit alia ad potandum, alia ad coquendum, alia ad usus alios. Ex* effectis efficientis: *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus est, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est. Senec.* lib. 3. de benefic. *Magna pars vitæ elabitur nihil agendo, major malè agendo, maxima aliud agendo. Senec. Juris præcepta tria sunt, honestè vivere, alterum non lædere, suum cuiq; tribuere.* §. juris præcepta. Inst. de just. & jur. *Ex* effectis materiæ: *Statuarius vel metallicas statuas facit, vel lapideas, vel eburneas, vel ligneas. Ex* effectis formæ: *Rationis est invenire, & inventa judicare.* *Hîc*

Hic distributio generis in suas species excellit.

Qualis est animalis in hominem & bestiam.

Distributio è subjectis est, cujus partes sunt subjecta.

Tot sunt stipulationes, quot res. l. scire. 29. de Verb. Oblig. *Successio in Jure duplex est: nam aut in universo jure succeditur, quod faciunt heredes, bonorum possessores & fideicommissarii universales: aut in re aliqua particulari, quod jus legatariis, emptoribus, & donatariis, qui appellantur successores singulares competit.* l. fin. in fin. de except. rei judic. l. sciendum. 19. §. deindè. de Ædil. edict. l. 7. & 8. de jurejur. *Actiones sunt vel in personam, vel in rem.* l. actionum. 25. in pr. de Oblig. & act. §. 1. Inst. de action. *Dominium aliud est proprietatis, aliud juris. D. Gœdd.* ad l. 25. n. 17. de Verb. signif. *Privilegia sunt personalia vel realia.* l. privilegia. 196. de reg. jur. l. in omnibus. 68. eod. *Majestas est personalis, vel realis. Kirchner.* de republ. pag. 24.

Huc refero Distinctionem nominis, seu vocis multa significantis in sua significata.

Res enim significatæ sunt subjecta, quibus vox eadem, seu nomen idem tribuitur, & imponitur. Polan. lib. 1. Log. p. 112. *Goclen.* lib. 1. Inst. p. 266. & seq. *Ut virtus aliàs significat facultatem*

tultatem seu δύναμιν: aliàs habitum Ethicum, qui Græcis est ἀρετὴ. Mors alia est naturalis, alia civilis. D. Vult. 1. discept. schol. 12. *Generaliter injuria dicitur omne id, quod non Jure fit. Specialiter, aliàs contumelia, aliàs culpa, aliàs iniquitas & injustitia.* pr. Inst. de injur. *Familiæ significationes varias vid.* in l. pronunciatio. 195. de Verb. signif. *D. Vult.* 1. J. R. c. 8. n. 4. *Sic etiam vocabuli juris significatio multiplex reperitur. Primum accipitur pro Jurisprudentia, sive juris arte.* l. 1. de just. & jur. *deindè pro eo, quod est justum.* t. t. Inst. de J. N. G. & C. *tertiò pro loco, in quo jus redditur.* l. 4. de interrog. in jure faciend. l. 56. §. 1. mandat. l. 6. de feriis. l. 56. de re judic. *vid. D. Vult.* in com. Inst. ad §. 3. de just. & jur. n. 2.

Distributio ex adjunctis est, cujus partes sunt adjuncta.

Ex adjunctis homines sunt vel minores 25. annis, vel majores. Cujac. 6. Obs. 3. *alii liberi, alii servi.* pr. Inst. de jur. person. l. 3. de stat. homin. *alii prodigi, furiosi, muti, surdi, cœci, &c. vid. Vult.* 1. J. R. 4. *Actiones sunt bonæ fidei vel stricti juris.* §. actionum. & seq. Inst. de action. *vel arbitrariæ.* §. 31. Inst. eod. *Menoch.* lib. 1. de arbitr. jud. quæst. 3. & 4. *Feudum aliud est novum, aliud vetus.* c. 1. in pr.

per

per quos fiat invest. c. 1. vers. his verò deficientibus. de success. fratr. *aliud perpetuum, aliud temporale. Dn. Vult.* 1. F. 8. n. 34.

Cap. XXVII.

De Definitione.

D*Efinitio est, quâ explicatur quid res sit.*

Reg. I.

Definitio sit reciproca, & adæquata suo definito.

Duo hæc regula præcipit: I. ne definitio sit angustior suo definito. Vitiosa igitur est definitio dominii, quod sit jus de re corporali perfectè disponendi, aut vindicandi, quæ est Bartoli in l. si quis. 17. §. differentia. de acquir. vel amitt. possess. *quia dominium non tantum est rerum corporalium, sed & incorporalium. Dn. Vult.* ad pr. Inst. de rer. divis. n. 19. *Dn. Gœdd.* in l. 49. n. 7. de Verb. signif. *Et servitutis realis, quod sit jus, quo prædium alienum vicinum alteri servit. quoniam in prædiis urbanis hæc vicinitas non exigitur.* l. si quis duas. 6. commun. præd. *sed sufficit, ut servitus esse possit.* l. si ædes. 28. de serv. urb. pręd. *Item feudi ab Hotoman.* in disp. feud. c. 4. *proposita: Feudum est clientela militaris, eâ lege contracta, ut Cliens pro beneficio accepto militarem operam præbeat, vicissimq; patronus suam illi fidem & benevolentiam præstet.*

ſtet. Nam multa ſunt feuda, quæ militaria non ſunt, nec militiæ cauſſâ dantur. D. Vult. 1. F. 2. n. 7.

II. Ne definitio ſit latior, neve aliquid in eâ redundet. Mala igitur eſt doli mali definitio Servii Sulpitii in l. 1. §. dolum. de dol. mal. *nam & dolo bono competit. Quo nomine etiam definitio teſtamenti* in l. 1. qui teſtam. fac. poſſ. *eſt rejecta à Dn. Vult.* in comment. Inſt. ad pr. de teſtam. n. 16. de teſtament.

II.

Definitio verbis conſuetis & propriis concipitur.

Weſemb. in pr. Inſt. de rer. diviſ. n. 6. *Gœdd.* de contrah. ſtip. p. 92. *D. Vult.* 1. F. c. 2. n. 5. *Pruckm.* c. 2. n. 4. rubr. quæ ſint regalia. *Malè igitur feudum definitur res. Nam feudum non poteſt dici res niſi metonymicè & impropriè, ſed eſt jus in re conſtitutum. Dn. Vult.* d. c. 2. n. 6. & c. 19. lib. 1. diſcept. ſchol. *Sicuti & dotis genus malè res conſtituitur ab Azone* in ſumma Cod. de jure dot. *& Zaſio* in rubr. Digeſtor. de jure dot. n. 18. *Quippè res dotalis diſtinguitur à dote, ſicut ſubjectum à ſuo adjuncto. vide D. Vult.* ad pr. Inſt. quib. alien. lic. vel non lic. n. 8. & 9.

III.

Cui convenit definitio, eidem & definitum, & contra.

Mulie-

Mulieri tribuitur definitio hominis. Ergò est homo. Dissent. Cujac. 6. Obs. 21. per l. si quis aliquid. 38. §. qui abortionis. de pœn. *Cui respondet Gœdd.* in l. 1. n. 32. de Verb. signif. *Treutl.* vol. 1. disput. 2. th. 1. lit. c. *Febris est morbus sonticus, quia cuiq; rei agendæ impedimento est.* l. quæsitum. 60. de re judic. *Sic Imp. Justinianus probaturus, raptorem esse furem, & furti actione teneri, argumentatur à definitione furis, hoc modo: Fur est, qui rem alienam invito domino contrectat.* §. 1. Inst. de obligat. quæ ex del. nasc. *Atqui raptor rem alienam invito domino contractat. Ergò fur est, & furti actione, quæ specialiter vi bonorum raptorum vocatur, tenetur.* pr. Inst. de vi bonor. rapt.

IV.

Cui non convenit definitio, eidem nec definitum.

Ut, non est animal rationale. E. non est homo. Res soli non contrectatur, quia loco moveri nequit. l. thesaurus. 15. ad exhib. l. inficiando. 67. in pr. de furt. l. 3. §. si rem. de acquir. possess. *ergò nec furtum in eâ committitur.* l. si quis. 52. §. neq; verbo. 13. l. 21. §. ult. de furt. §. 2. Inst. de Usucap. junct. §. 1. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc.

Estq; perfecta vel imperfecta.

Perfe-

Perfecta, quæ constat ex caussis essentiam constituentibus.

Quemadmodum formarum cognitio perdifficilis est, quo de conqueritur Scalig. exerc. 307. sect. 21. *ita omnis in jure civili præsertim definitio periculosa dicitur Javoleno* in l. omnis. 202. de reg. jur. *Quam legem etsi multi accipiunt de regula seu axiomate, quo sensu etiam accipitur* in l. si Titio. 22. §. 1. quand. dies legat. ced. l. mora. 32 de Usur. *Cujac.* in l. 1. de reg. jur. *Joh. Mercer.* cap. 16. lib. 2. opin. *Coras.* p. 1. c. 2. & 10. de juris arte. *Joh. Roberter.* 1. Top. 2. *non tamen desunt, qui existimant Javolenum loqui de vera & logica definitione. Alciat.* cap. pen. lib. 6. paradox. *Utramq; interpretationem admitti posse cum Pinello* c. 3. n. 28. part. 1. ad rubr. C. de resc. vend. *omninò puto. Nam & regulæ juris periculosæ sunt, propter multitudinem exceptionum: Et definitiones juris ob verarum differentiarum penuriam, variasq; negotiorum circumstantias minus perfectæ dari possunt. Itaq; Doctores Juris volunt, sufficere in jure definitiones procedere secundum communiter accidentia, quos allegat Cagnol.* in d. l. omnis. *Non definiunt JCti, nec opus est his definitione Logica, ait Duaren.* in c. 2. de probat. *qui tamen ipse in definitione judicii explicanda integrum annum consumpsit, uti te-*

 statur

statur ad tit. de judic. *Verùm enimverò qui definitiones juris secundum regulas Dialecticorum formari debere, negant, nihil aliud agunt, quam ut jus artem, cujus proprium est definire,* *Talæus* in prælect. ad Dialect. P. Rami, in loc. de definit. *negent, contra* l. 1. de just. & jur. *Quod isti duntaxat faciunt, qui definiendi artem non intelligunt. Quin potius Ciceronem sequamur, qui* lib. 1. offic. *ita scribit: Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. Omninoq; statuamus, absq; definitionibus disputare, nihil aliud esse, quàm sine fundamentis ædificare. Herm. Kirchn.* disput. polit. 1. th. 1.

Partes ejus duæ sunt, genus & differentia.

Genus commune est definito cum omnibus speciebus sub eodem genere comprehensis: differentia verò definitum à cæteris ejusdem generis speciebus discernit. Pol. lib. 1. Log. p. 119. *In omni autem definitione genus proximum est ponendum. Ideò Usufructus non rectè definitur per jus* in pr. Inst. de Usufr. *sed per servitutem personalem. Vult.* ad d. pr. *quod tamen brevitatis gratiâ sæpè omittitur, ut in definitione juris privati & publici.* l. 1. §. hujus studii. de J. & J. §. hujus studii. Inst. eod. *Legis*, §. lex est. Inst. de J. N. G. & C. *Juris naturalis*, d. l. 1. §.

jus

jus naturale est, & pr. Inst. de J. N. G. & C. *Juris Civilis & Prætorii.* l. jus civile. 6. & l. seq. de J. & J. *Ingenui.* Inst. de ingen. *libertinorum.* Inst. de libert. *donationis caussâ mortis*, §. 1. Inst. de donat. *depositi.* l. 1. in pr. deposit.

Imperfecta definitio est, quæ ex aliis argumentis, quam caussis essentialibus sumpta est.

Dicitur descriptio. Sic Cicero 2. de Oratore historiam describit ex finibus per comparationem similium tractatis: Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. A rebus gestis Pomponius describit Q. Fabium his verbis: Quintus Mucius Fabius ad Carthaginenses missus legatus, cum essent duæ tessaræ positæ, una pacis, altera belli: arbitrio sibi dato utram vellet, referret Romam, utramq; sustulit, & ait Carthaginenses petere debere utram mallent accipere. l. 2. §. 37. de Orig. jur.

Reg.

Imperfecta definitio etiam verbis negativis fieri potest.

Qualis est auri facti in l. Quintus Mucius. §. fin. de aur. & arg. leg. *& supellectilis*, in l. 1. de supell. legat.

Cap. XXVIII. & Ultimum.

H*Actenus exposita sunt argumenta artificialia; sequitur inartificiale.*

Argumentum inartificiale est, quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicujus argumenti vi arguit.

Id uno nomine dicitur testimonium; item auctoritas: Ejus correlatum Res testata sive testatum. Cicero vocat assumptum, quod extrinsecus ad quæstionem arguendam assumatur, non ex ipsa quæstione eruatur, sicut insitum, seu artificiale. Joh. Piscat. in animadvers. ad Rami Dial. hîc. *Hoc igitur argumentum ut arguat, & fidem faciat, testis autoritate est sublevandum. Qualis enim est testis, tale est ipsius testimonium. Unde rectè D. Hadrianus rescripsit* in l. 3. §. idem Divus. de testibus; *se testibus non testimoniis crediturum.*

Idq; ex caussa efficiente, formali, objecto, & adjuncto variè dividitur.

Ex efficiente testimonium aliud est divinum, aliud humanum.

Divinum, quod Deum autorem habet.

Ut Genes. 3. v. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

Reg.

Reg.

Quicquid Deus teſtatur, id verum eſſe neceſſe eſt.

Hoc principium principiorum eſt, & axioma ſummum. Piſcat. in animad. hîc. *Keckerm.* lib. 3. ſyſt. Log. p. 524.

Teſtimonium humanum eſt, quod hominem autorem habet.

Reg.

Quod homo teſtatur, quatenus homo, id propterea verum eſſe neceſſe non eſt.

Quemadmodum veritas alia eſt contingens, alia neceſſaria, ita & teſtimonium. Solum divinum teſtimonium eſt abſolutè neceſſarium, quia ſoli Deo veritas eſt eſſentialis: omni verò homini contingenter & mutabiliter inhæret: ideò teſtimonium humanum, quâ tale, contingens eſſe neceſſe eſt. Keckerm. d. lo. *Dico quâ humanum, propter eos, qui teſtantur non ut homines, id eſt, ex ſeipſis; ſed ut ſervi Dei, immediatè à Deo ad teſtandum vocati. Piſcat.* in animadv. p. 128. *Notanda itaq; hæc regula contra eos, qui ex omnium rerum domino, atq; dictatore intellectu noſtro conantur efficere mancipium alienæ libidinis. Scal.* exerc. 6. ſect. 4. *Sit amicus Plato, amicus Ariſtoteles, amici Bartolus, Baldus, & alii docti viri docti, ſed magis amica veritas. Quod & Cicero* lib. 1. de natur.

Deor. *his verbis graviter monet: Non tàm autoritas in disputando, quàm rationis momenta quærenda sunt. quin etiam obest plerumq; iis, qui discere volunt, autoritas eorum, qui se docere profitentur, desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident. Ut igitur Philosophi sine ratione: ita JCti sine lege loqui erubescant.* Nov. 18. c. 5. *Bald.* in c. nihil. in fin. de elect. *ubi ait: Quod lege non cavetur, in practica non habetur. Quamvis autem nullum humanum testimonium sit necessariæ veritatis, tamen gradus certos admittit, & alterum altero est firmius, vel infirmius. Keckerm.* d. lo. p. 499. *ut ex sequentibus patebit.*

II.

Artifici in sua arte est credendum.

Soçi. reg. 362. *Speculat.* in tit. de probat. §. fin. n. 25. *Vivius* lib. 1. com. opin. vers. feudorum liber. n. 3. & seqq. *Everhard.* in loc. ab autoritat. n. 1. *Schneid.* in Inst. ad §. item pretium. n. 10. de empt. & vendit. *Sic Virgilii authoritas allegatur* in l. in tantum. in fin. de rer. divis. *Homeri,* in l. 1. de contrah. empt. l. si merces. §. vis major. locat. l. legatis. §. ornatricibus. l. legata. de supell. legat. *Platonis* in l. 2. de nundin. *Aristotelis* in l. si pater. de solut. *Ciceronis*, in l. Cicero. 39. de pœn. l. littus.

littus.96. de V. S. *Demostenis.* l.2. de LL. l.aut facta 16.de pœn. *Hippocratis.* l.ſeptimo menſe. de ſtat. hom. l. inteſtato. in fin. de ſuis & legit. *Xenephontis*, l. ſi calumniator. de V. S. *Chryſippi.* l. 2. de LL. *Theophraſti.* l.3. de LL. l. antiqui. ſi pars hered. pet. *Lucii Funeſtellæ*, l.1. de offic. quæſt. *Hinc etiam obſtetricibus*, l.1. C.de ventr.inſpic. *& chirurgis peritis credimus.* *Mynſ.* 6. Obſ.34. *Niſi I. extra ſuam artem teſtentur.* *Vivius* d. verſ. feudorum liber. n.3. *II. niſi lex in contrarium extet.* *Viv.* d. lo. n. 5. & ſeqq.

III.

Teſtimonium vetus dignius eſt novo.

Cui enim de antiquitate magis, quàm ipſi antiquitati credimus. Itaq; ſenibus potius credendum, quàm juvenibus. arg. l. fin. de fid. inſtr. *niſi juniores ſint digniores.* *Port.* lib. 2. com. opin. concl. 31. *his enim magis creditur.* c. in noſtra.de teſtib. *etiamſi eſſent numero inferiores.* *Port.* d. lib. 2. concl. 24.

IV.

Teſtibus duobus affirmantibus magis credendum, quàm mille negantibus.

Port. d. lib. 2. concl. 14. *quia præſumptio eſt pro negante.* vid. ſ. cap.2. *Fallit in criminalibus, ubi negantibus potiùs creditur, quàm affirmantibus.* *gl.* in cap. Clerici. 81. diſt. *Geil.*

1. de pac. publ. c. 16. n. 23. *II. fallit, quando testes negantes deponunt pro reis. Abbas* in c. cum P. de accusat. *Felin.* in c. ex literis. col. 2. de probat.

V.

Testis unus regulariter non probat plenè.

c. licet. c. veniens. de testib. *sed ad minimum duos esse oportet, ut fidem faciant.* l. ubi numerus 12. de testib. *Myns.* resp. 1. n. 11. & 3. Obs. 76. *nisi cum teste uno concurrant alia adminicula & præsumptiones. Hinc testis unus de proprio facto deponens in civilibus caussis plenè probat.* l. quæro. §. fin. de Ædil. edict. *Regn. Sixtin.* cons. Marp. 11. n. 85. vol. 1. *Et testis unus fide dignus probat plenè cum teste infami. Vult.* cons. Marp. 15. n. 173. vol. 1. *Unus etiam testis contra producentem plenam facit fidem. Vult.* ib. n. 174.

VI.

Testibus deponentibus verosimiliora magis credendum.

c. si testes. 4. q. 3. l. ob carmen. §. si testes. *etiamsi essent minus digni. Port.* lib. 2. com. concl. 23. *Nam qui arguit à verosimili, arguit à ratione naturali, cum verosimilitudo cognata sit naturæ. Bald.* cons. 180. n. 3. vol. 3. *& pro lege habetur. Oldrad.* cons. 13. *Cravett.* cons. 292. n. 6. *Atq; hinc infertur, magis credendum testibus*

ſtibus de antiquiori poſſeſſione. Port. com.opin. lib. 2.concl. 35. *& de poſſeſſione titulata. Port.* ib. *Doctoribus in lecturis, quàm in conſiliis. Pariſ.* conſ. 110. col. 3. in fin. vol. 1. *quibus aliqua præſumptio aſſiſtit. Port.* d. lib. 2. concl. 36. *Uni pro inſtrumento, quàm duobus contra inſtrumentum. Port.* ib. concl. 37. *deponentibus pro reo, quàm pro actore. Port.* ib. concl. 25. *deponentibus cum cauſſa ſcientiæ, quàm èconträ. Port.* ib. concl. 27. *deponentibus univerſaliter, quàm indefinitè. Port.* concl. 32. *deponentib. in ſpecie, quam in genere. Port.* concl. 33. *deponentibus aliquem bonum, quam malum aſſerentibus. Port.* ib. concl. 20.

VII.

Teſtis de auditu non probat.

L. teſtium. C. de teſtib. *Joſ. Ludovic.* deciſ. Peruſ. 106. n. 19. *Mynſ.* 6. O. 58 *Vult.* 2. J. R. 2. n. 48. *niſi verſemur in antiquis. Vult.* conſ. Marp. 16. n. 60. vol. 1. *Abbas* in c. tam literis. *ubi Aret.* de teſtibus. & c. licet ex quodam. eod. tit.

Eſtq; teſtimonium humanum vel amici, vel inimici.

Reg. I.

Amici teſtimonium ſæpè ſuſpectum eſt.

Maximè ſi producenti maximâ amicitiâ ſit conjunctus. Bald. & Felin. in c. 4. de teſtib.

Geil. 2. de p. p. 10. n. 17. *Hinc testes esse prohibentur conjux pro conjuge. Vult.* 2. J. R. 31. n. 25. *parentes pro liberis, liberi pro parentibus.* l. parentes. C. de testib. *Vult.* cons. Marp. 15. n. 8. & 81. *fratres & sorores inter se. Due.* reg. 384. *Port.* 4. com. opin. concl. 26. *consanguineus in caussa consanguinei. Zas.* cons. 2. n. 23. vol. 2. *domesticus in caussa domestici. Joh. à Roberter.* in Top. p. 28. & seq. *Ea tamen quæ in domo committuntur, per domesticos probantur.* l. consensu. §. sin a. aliter. C. de repud. *Rom.* consil. 451. n. 7. *Gylm.* Symph. Cam. Tom. 2. part. 2. vot. 7. n. 33.

II.

Testimonium inimici pro inimico multum valet.

Quia præsumitur vi veritatis & conscientiæ ipsi extortum esse. Polan. lib. 1. Log. p. 133.

III.

Testimonium inimici contra inimicum non valet.

Quia ex malevolentia profectum præsumitur. Polan. d. loc. *Alex.* cons. 99. in pr. vol. 1. *Socin. Jun.* cons. 73. n. 14. vol. 2. *etiamsi sit reconciliatus. D. Vult.* d. cons. 15. n. 185.

II. à forma testimonium omne aut verbis continetur, aut factis.

Verba quibus testimonium continetur, aut

pro-

pronunciata sunt aut scripta. Ad scripta *testimonia pertinent leges humanæ, Senatusconsulta, decreta, edicta, syngrapha, apochæ, instrumenta publica & privata: item libri Philosophorum, Oratorum, Poëtarum, Historicorum. Ad testimonia quæ* factis *continentur, pertinent gestus, ritus & ceremoniæ.*

III. Ab objecto testimonium dividitur in promissionem & confessionem.

Promissio est testimonium de testantis voluntate.

Confessio est testimonium de testantis mente.

Eaq́; spontanea est, vel extorta.

Spontanea, est facta sponte nullo cogente.

Extorta est tormentis expressa, quæ propriè quæstio dicitur.

In tit. D. & C. de quæstion.

Utraq́; est judicialis, vel extrajudicialis.

Judicialis est facta in judicio.

Reg.

Confessio judicialis omnium probationum optima.

L. fin. C. de fideicommiss. l. generaliter. §. etsi C. de reb. cred. l. perindè. ad L. Aquil. l. si confessus. C. de custod. reor. *Vult.* cons. Marp. 18. n. 27. vol. 1. *& quovis instrumento major. Cravett.* cons. 61. n. 3. & cons. 171. n. 4. *maximè si sit judicialis. Vult.* 2. J. R. 2. n. 39.

Undè

Undè confessus in jure pro judicato habetur. l. 56. de re judic. *inq; eum non sunt aliæ partes judicis, nisi in condemnando.* l. un. C. de confess. *Geil.* 1. Obs. 86. n. 1.

Extrajudicialis est facta extra judicium.

Reg.

Confessio extrajudicialis semiplenè tantum probat.

Facta scil. parte absente. Due. reg. 120. *Jos. Ludovic.* decision. Perus. 9. n. 1. *præsente enim parte factâ plenè probat.* l. Publica Mœvia. in fin. depos. l. cum de indebito. §. fin. de probat. *Due.* reg. 119. *Aut si sit jurata. Bart.* in l. cum quis decedens. §. codicillis. de legat. 3. *vel geminata, quæ judiciali æquiparatur. Panormit. & Felin.* in c. si cautio. de fide instrum. *Sixtin.* consil. Marp. 11. n. 87. vol. 1. *Vultej.* cons. Marp. 15. n. 103. vol. 1.

IV. Ratione adjuncti, testimonium est vel cum jurejurando, aut sine eo.

Reg. I.

Juramentum est maximum litium expediendarum remedium.


L. 1. de jurejur. *Sicuti enim confessio relevat à probando, ita etiam juramentum.* l. eum qui. in pr. de jurejur. *Jas.* in l. cum te. n. 9. de transact. *Purpurat.* in l. manifestæ. n. 6. de jurejur. *majoremq; vim habet, quàm res judicata.*

cata. l. 3. l. non erit. §. fin. cum l. seq. de jurejur. l. 1. l. actori. & seq. C. de rebus cred. *Idq́ʒ omninò servandum est, si absqʒ dispendio æternæ salutis servari possit.* c. cum continger. c. licet mulieres. de jurejur. in 6.

II.

Juramenta sunt personalia, nec personam jurantis egrediuntur.

c. veritatis. extr. de jurejur. *Ideoq́ʒ ad heredes non transmittuntur.* d. c. veritatis. *Wesemb.* conf. 15. n. 28. *pactum tamen juramento confirmatum, cum in rem sit, heredem obstringit. Gœdd.* conf. Marp. 27. n. 173. vol. 1. *Juramentum, ait Geil.* 1. O. 27. n. 1. *ex parte jurantis est personale, & personam non egreditur, licet ex parte recipientis sit reale, & ad ejus heredes transeat. vid. Port.* lib. 1. com. opin. concluf. 3.




DANIE-

DANIELIS OTTONIS D.

DIALECTICÆ LIBER secundus, de Judicio.

Cap. I.

De Definitione Judicii.



Dhuc prima Dialecticæ artis pars fuit in Inventione; pars altera sequitur in Judicio.

Judicium est pars altera Dialecticæ, de disponendis argumentis ad benè judicandum.

Sicuti inveniendi ratio pertinet ad Advocatos, cui omnes facti circumstantiæ in jure ejus inquirendo probò perlustrandæ sunt, & considerandæ, puta caussæ, effecta, subjecta, adjuncta, dissentanea, comparata &c. l. 16. de pœn. *ita ratio judicandi Judicibus propria est atq; sola, qui de actionibus, exceptionibus, earumq; argumentis ab Advocato inventis, secundum acta & probata judicant. Clar.* in pract. crim. q. 8. n. fin. & q. 66. n. 2. *Diaz.* reg. 377. *Due.* reg. 443. & 446. *Cujac.* 12. obs. 19. *Vitiosa est igitur illa judicandi ratio, quâ judex suo officio, posthabito, Advocatorum onera subit, seq; immi-*

immiscet rei ad se non pertinenti, dum scil. facti caussas, effecta, locum, tempus, antecedentia, consequentia &c. inquirit; quod officium Advocatorum proprium esse dixi. Excipio caussas summarias, seu extraordinarias, quas recenset gloss. in l.3. §. sciendum. ad exhib. *quarum jus magis ex arbitrio judicis, quàm ex LL. authoritate pendet, ac proindè hanc judicandi rationem requirit. Sed hæc latius tractantur à Nic. Vigelio* in fin. Meth. jur. Civ. *ubi de litibus abbreviandis egregiè differit. Cui adde Ant. Fabr.* in Cod. lib. 9. tit. 22. Ut intra certum tempus crim. 9. termin. pag. 1150. & seqq.

Cap. II.

De axiomatis affirmatione & negatione.

E*Stq; Axiomaticum vel Dianoëticum.*

Axioma est dispositio argumenti cum argumento, quâ esse vel non esse judicatur.

Vocatur etiam enunciatum, pronunciatum, sententia, propositio, prædicatio, & à JCtis enũciatio. l. bonus. 89. §. 1. l. 148 l. hæc enunciatio. 232. de V. S. *item oratio.* l. 28. §. 1. l. sæpè. 53. eod. tit. l. in ambiguis. 96. de R. J. l. 66. de judic. l. quoties. 12. l. seq. §. utrum de reb. dub. & *verbum.* l. 68. l. 70. in fin. l. 73. l. 124. l. 142. de Verb. signif. *Idq;*

Idq; dividitur secundum affectiones & species.

Affectiones ejus sunt qualitas & quantitas.

Ex qualitate axioma dividitur I. in affirmans & negans.

Affirmans, cujus vinculum affirmatur.

Ut, Virtus est proprium hominis bonum. Tacit. 6. hist. *Parentibus est obediendum.* l. 2 de J. & J. *Ita etiam duæ negationes apud Latinos inferunt affirmationem.* l. 237. de V. S. *quando scil. utraq; negatio ad idem vinculum recurrit.* Gœdd. in l. 79. §. 1. n. 5. de V. S. *quippè natura secundæ negationis est, ut id, quod invenit positum, destruat atq; evertat. Alciat.* in d. l. 237.

Negans, cujus vinculum negatur.

Ut, non potest amor cum timore misceri. Senec. epist. 47. *Nemo præsumitur immemor esse salutis & animæ,* l. fin. vers. & licet. C. ad L. Jul. repet. *Ex nudo pacto jure civili non datur actio.* l. jurisgentium. §. quin imò. de pact. l. legem. C. eod. *Et generaliter, quæ natura disjunxit in rebus, ea etiam nos disjungimus per propositionem in arte. Scal.* lib. 1. de cc. ll. c. 142.

Regula.

In negante axiomate particula negans convenienti loco ponenda est.

Nimirum vel in principio, vel immediatè ante

*ante vinculum. Ut nullum pactum nudum parit actionem. Pactum nudum non parit actionem. Sin alio loco collocetur non fit disiunctio consequentis ab antecedente, ut: Angelus est non ens à se. Scal.*exerc.159 sect.11 *Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. Æschylus.*

Ex affirmatione & negatione oritur oppositio.

Oppositio est, cum idem axioma affirmatur & negatur.

Estq́; contraria vel contradictoria.

Contraria, quâ universali affirmanti opponitur universale negans, & contrà.

Nulla obligatio parit actionem: Omnis obligatio parit actionem.

Reg.

In oppositione contraria contingenti pars utraq; potest esse falsa.

Etsi duo contraria axiomata non possunt esse simul vera. l. si ancillam. in pr. pro suo. *possunt tamen esse simul falsa.* l. si is, qui ducenta. 14. §. utrum. de reb. dub. *ubi Julianus sic ait:* Duæ orationes repugnantia continentes simul falsæ sunt: veluti si qui liberorum partim puberes, partim impuberes decesserint. Nam & hoc falsum est, omnes impuberes decessisse, & illud omnes puberes decessisse. Id accidit, quia significatio sumi-

tur ex universo, in quo si aliquid falsum est, totam orationem falsam efficit.

Oppositio contradictoria est, quâ opponitur universali affirmanti particulare negans, & contra: aut singulari affirmanti, singulare negans, & contra.

Omne quod licet, honestum est. Non omne quod licet, honestum est. Huc pertinent antinomiæ *juris, quoties una lex aliquid affirmat, altera negat, quales quidem nullas in jure reperiri, gloriatur Imper. Justinianus* in concept. Digest. §. 8. & in confirm. Digest. §. contrarium 15. & in l. 1. §. jubemus. 4. §. nulla itaque 8. item l. 2. §. contrarium autem. C. de J. V. E. *Verum hæc laus est propria, & testimonium sui ipsius, cui doctissimi JCti contradicunt, moti seqq. legum textibus. I. est in* l. si chorus. 79. §. penult. & ult. de legat. 3. *Cui contradicit* l. si areæ legatæ. 39. de legat. 2. *II. in* l. cætera. 41. §. tractari. 2. de legat. 1. *cui contrarius est textus in* l. 1. §. ult. de reg. Caton. *Cujac.* ad §. sed si rem legatarii. Inst. de legat. *III in* l. verbis 5. in fin. ad L. Falcid. *cui contrariatur* l. debitor. 12. in pr. de leg. 2. *Donel.* 8. Com. 11. *IV. est in* l. si creditor. 83. ad L. Falcid. *cui repugnat* l. eo tempore. 5. §. 1. de pecul.

Cap.

Cap. III.

De Vero & Falso.

I I. Axioma est verum vel falsum.

Verum est, quod enunciat uti res est.

Estq; necessarium vel contingens.

Necessarium, in quo prædicatum subjecto tribuitur necessariò.

Cujus gradus sunt tres, 1. κατὰ παντὸς. *2.* καθ' αὐτὸ. *3.* καθ' ὅλȣ πρῶτον.

Necessarium κατὰ παντὸς *est, cujus consequens omni antecedenti semper inest.*

Ut, contractus est conventio, conventio omnibus contractibus inest. l. 1. de pact. *Potest autem unum idemq; axioma esse necessarium & contingens. V. g. Depositum est reddendum: contingens est, si intelligatur de actu, nec enim furioso gladius, quem deposuit, est reddendus. Necessarium, si intelligatur de aptitudine.*

Καθ' αὐτὸ *est, cujus partes inter se sunt essentiales.*

Estq; primi, vel secundi modi.

Primus modus est, cum consequens est de essentia antecedentis.

Ut, homo est animal, servitus est jus. contractus est conventio.

Secundus modus est, cum antecedens est de essentia consequentis.

Continet ergò prædicationem adjunctorum propriorum de suis subjectis. Ut homo est risibilis. Numerus est par vel impar.

Καθ' ὅλȣ πρῶτον *est, cum consequens de antecedente reciprocè dicitur.*

Jus est ars æqui, & ars æqui est jus. Contractus est conventio cum caussa, & omnis conventio cum caussa est contractus.

Axioma contingens est, in quo consequens cum antecedente disponitur mutabiliter.

Ita nimirum, ut nec consequens sit de essentia vel definitione antecedentis; nec antecedens in definitione consequentis. Ut homo est doctus. Tres uno utero nasci possunt. l. 3. si pars hered. pet.

Falsum axioma est, quod non pronunciat, uti res est.

Ut homo est lapis. Ususfructus in facto consistens est servitus.

Cap. IV.

De axiomate universali particulari & singulari.

EX quantitate axioma dividitur in universale, particulare & singulare.

Universale est, cum consequens tribuitur antecedenti universaliter.

Ut:

Ut: Semper in prælio his maximum periculum est, qui maximè timent. *Saluſt.* in Jugurth. *Nulla intolerabilior Tyrannis, quàm imperare velle conſcientiis.* *Maximil. II. Imp.* apud War. ab Erenb. lib. 2. de fœder. *Omnis definitio in jure civili periculoſa.* l. omnis. 202. de reg. jur.

Particulare, cujus conſequens antecedenti tribuitur particulariter.

Plerumq; muliebre conſilium deterius. *Tacit.* 15. Annal. *Sæpè in bello parvis momentis magni caſus intercedunt.* *Cæſar.* 1. bell. civil. *Non omne quod licet, honeſtum eſt.* l. non omne. 186 de reg jur. *Cæterum utrumq; axioma tàm univerſale, quàm particulare eſt definitum vel indefinitum. Definitum vocant, cujus antecedens ſeu ſubjectum ſigno aliquo, puta omnis, nullus, quidam &c. eſt determinatum. Indefinitum quod ſigno caret. Definita ſunt, unicuiq; licet ſanguinem ſuum quoquo modo redimere.* l. 1. de bon. eor. qui ſibi mort. conſc. *aliqua injuria eſt atrox.* §. atrox. Inſt. de injur. *Indefinita ſunt, Fama bellum conficit.* *Liv.* lib. 27. *Privatorum conventio juri publico non derogat.* l. pignus. de reg. jur. *Indefinita æquipollent univerſali, niſi contrarium doceatur.* l. ſi ita relictum. de leg. 2. l. ſi neceſſarias. §. ſi annua. de pignor. act. l. ſi plurib. de leg. 2. l. ſi ſervitus impoſita. 23. de ſervit. urb. præd. *ubi*

enim lex non distinguit, non nostrum est distinguere. l. 8. de public. in rem act. *quod verum est in materia necessaria, non contingenti. Roger.* in tract. de interpret. jur. q. 2. pr. n. 10. *Ut nec in materia odiosa, Dn. Gœdd.* ad l. 1. n. 11. de Verb. signif.

Singulare axioma est, cujus consequens antecedenti singulari tribuitur.

Ut, Barbarius Philippus est Prœtor. l. 3. de offic. Prœtor. *Appius Claudus Cœcus consiliis publicis interfuit, & in Senatu severissimam dixit sententiam.* l. 1. §. quamvis autem. de postul.

Cap. V.

De axiomate simplici.

Secundum species axioma dividitur in simplex & compositum.

Simplex, quod nullo alio, quàm verbi vinculo continetur.

Ut homo est animal. Domus sua cuiq; tutissimum refugium, atq; receptaculum est, l. 18. de in jus vocand.

Cujus partes sunt antecedens, seu subjectum: & consequens, seu prædicatum. Quæ verbi vinculo conjunguntur.

Vinculum aliis dicitur copula. JCtis conjunctio. Gœdd. in l. 28. §. 1. n. 2. de Verb. signif.

Cap.

Cap. VI.

De axiomate copulato.

COmpositum axioma est, quod vinculo conjunctionis continetur.

Estq; congregativum, vel segregativum.

Congregativum, cujus partes conjunctione congregativa componuntur.

Estq; copulatum vel connexum.

Copulatum, cujus conjunctio est copulativa.

Aliis dicitur propositio copulativa. Plurimum nocet & multitudo imperantium, & regimen nullum aut incertum. Thucid. lib. 6. *Stichum & Pamphilum & Damam dari volo.* l. 3. §. 1. 2. & 3. de reb. dub. *Pupillus proximus pubertati capax est & furandi, & injuriam faciendi.* l. pupillus. 112. de reg. jur. *Hujus loci sunt etiam axiomata illa relatæ qualitatis, cujus conjunctio est ipsa relatio. v. c. ubi confessio, ibi remissio. Senec. Philos.* de morib. *Tanti est exercitus, quanti Imperator. Flor.* lib. 2. c. 18. *Quoties periculum est in mora, toties à regulis juris communis recedimus. Geil.* 1. Observ. 78. n. 7. *Tale quodq; præsumitur, quale jure esse debet. Nic. Vigel.* in M. J. R. lib. 2. c. 10. in verb. jus. & in M. O. C. lib. 2. c. 11. verb. jus. *Cæterum etsi copula* ET, *sæpè eandem qualitatem tribuat omnibus copulatis, Canonistæ* in c. 1. de

commod. *illud tamen non est perpetuum, nam sæpissimè inter diversa ponitur, eaq; conjungit. Wehner.* lib. 5. pract. observ. verb. Und.

Regula.

Verum copulatum pendet ex omnium partium veritate, falsum ex una parte falsa.

Seu, ad veritatem copulativæ propositionis requiritur, utramq; partem esse veram. §. pen. Inst. de hered. instit. *ubi Imperat. ait:* Si plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt; siquidem conjunctim, utpote, si illud & illud factum fuerit: omnibus parendum est. *Cui suffragatur Paulus* in l. si heredi plures. de condit. instit. *Aliud exemplum est in* l. 129. de Verb. oblig. *vid. Gœdd.* in l. 28. §. 1. n. 6. & in l. 53. n. 2. & 8. de Verb. signif. *Ferrar.* in form. act. real. gloss. 30. n. 16. & seqq. *Et hoc est, quod JCti dicunt; Quoties lex plura conjunctim requirit, non sufficit alterum fieri, sed utrumq; adimpleri necesse est. Geil.* 2. Obs. 19. n. 16.

Cap. VII.

De axiomate connexo.

Connexum axioma est, cujus conjunctio est connexiva.

Aliis dicitur propositio hypothetica & conditio-

tionalis. Ut, si equitatu hostem aggredi avemus. campos debemus optare: si pedite, loca eligere angusta, fossis, paludibus vel arboribus impedita. Veget. lib. 3. c. 9. *si codicillis Sejum heredem scripsero, heres esto.* l. 10. de condit. instit. *Huic æquipollent axiomata illa, quæ constant adverbiis temporis, dum, cum, tum, quando. V.g. Homines cum docent, discunt. Quamdiu potest valere testamentum, tamdiu legitimus heres non admittitur.* l. quamdiu. 89. de reg. jur.

Reg. I.

Conditionalis oratio nihil ponit in esse.

Seu, quod pendet, non est pro eo, quon sit. l. is damnum. 131. de reg. jur. *Sicuti enim conditio propriè futurum respicit, ita etiam actus, cui apponitur ex futuro dependet. D. Vult.* 1. F. 7. n. 44. *Ergò quod est in conditione, non est in obligatione.* l. si quis in testamento. si quis omissa causs testam. *nequè debetur.* l. cedere diem. de Verb. sign. *antequam conditio existat.* §. ex conditionali. Inst. de Verb. oblig. *hac namq; existente conditionales obligationes, omniaq; omninò facta in pura resolvuntur. Hinc, qui per particulam* Si *loquitur, factum simpliciter non ponit, neq; absolutè quid confitetur, sed in eventum conditionis quid confert. Dn. Gœdd.* in l. 1. n. 16. & seq. de Verb. signif.

Quæ caussa est, ut libellus super obligatione conditionali sit ineptus, quia ex illo jus agendi non concluditur. Diaz. reg. 438. *Geil.* 1. O. 66. n. 14. *Sic etiam matrimonium, sub conditione contractum, firmum non est, neq; super eo oritur obligatio vel actio, antequam conditio existat. Schneid.* in Inst. ad tit. de nupt. part. 1. de sponsal. n. 34. *Nec deniq; creditor conditionalis propriè creditor est, etsi pro tali habeatur in* l. creditores. 10. & in l. conditionales. 54. de V. S. *Sicuti nec debitor conditionalis propriè debitor est.* arg. l. debitor. 108. d. t. *Geil.* 2. O. 29. n. 7. & O. 137. n. 7.

II.

Connexum impossibile æquipollet simplici neganti.

Ut: Dabo tibi filiam meam, si cœlum digito tetigeris. Idem est, ac si dixeris, neutiquam dabo tibi filiam meam. vid. Schneid. d. loc. n. 35.

Cap. VIII.

De axiomate discreto.

Tantum de axiomate congregativo; segregativum est, cujus conjunctio est segregativa.

Estq; discretum vel disjunctum.

Discretum, cujus conjunctio est discretiva.

Hoc è dissentaneis præcipuè diversa enunciat.

Ut:

Ut: Quanquam abundas præceptis Philosophiæ, tamen proficies meis legendis. Cic. in prooem. offic. *Etsi in privatis filiusfam. sub patria sit potestate, in publicis tamen caussis pro patref. habetur.* l. filiusfam. de his, qui sunt sui vel al. jur.

Reg.

Ad veritatem discreti axiomatis requiruntur partes veræ.

Falsum enim est, cum vel una ejus pars est falsa, ut; etsi emptio est contractus, tamen non est conventio. Hîc emptio, contractus, & conventio, res suâ naturâ conjunctæ, ineptè secernuntur.

Cap. IX.

De axiomate disjuncto.

D*Isjunctum est, cujus conjunctio est disjunctiva.*

Vocatur etiam propositio disjunctiva, & alternata, seu alternativa. Mors aut finis est, aut transitus. Senec. epist. 67. *Omnis sententia aut est interlocutoria, aut definitiva.* l. 3. C. de sent. & interloc. jud. *Hæc oratio propter diversitatem rerum, inter quas ponitur obscuritatem & incertitudinem adfert.* c. fin. de rescript. *adeoq; libellum, qui debet esse clarus & certus. Geil.* 1. O. 62. n. 2. *non obscurus.* l. fin. C. de annal. except.

except. *Diaz.* reg. 437. *regulariter vitiat.* l. Prætor. §. quod autem. de injur. *Diaz.* reg. 439. *exceptis casibus, quos recenset Ferrar.* in forma libell. respons. rei convent. gloss. 9. n. 1. *Myns.* 1. O. 53. *Geil.* d. O. 62.

Regula.

Disjunctum necessarium pendet ex necessaria partium disjunctione.

Ideoq; ad disjunctivæ propositionis veritatem, satis est, alteram partem esse veram. Cujus exemplum est in §. fin. Inst. de hered. instit. *ubi Imp. ait:* Si plures conditiones institutioni separatim adscriptæ sint, veluti si illud aut illud factum erit, cuilibet obtemperare satis est. *Et in* l. 129. de V. O. *ubi Scævola;* Si quis (*inquit*) ita stipulatus fuerit, Dabis si navis venit, aut Titius Consul factus sit? sufficit unum factum. Et contra, Dabis, si navis non venit, aut Titius Consul factus non est? sufficit unum non factum. *Hoc loco notandum est: in alternativis debitori competere electionem.* c. in alternativis. extr. de reg. jur. in 6. l. illud. 25. de const. pec. *Coler.* de process. execut. p. 2. c. 1. n. 50.

Cap. X.

De Syllogismo & ejus materia.

Sic fuit judicium axiomaticum, sequitur Dianoëticum. *Estq;*

Estq; Syllogismus vel methodus.

Syllogismus est dionoia, quâ quæstio cum argumento tertio ita disponitur, ut posito antecedente, necessario concludatur.

Ejus spectandæ sunt tum partes tum species.

Partes sunt materia & forma.

Materia est remota vel proxima.

Remota est, in quam Syllogismus ultimò resolvitur, scil. in tres terminos.

Reg.

In Syllogismo non sint plures aut pauciores termini, quàm tres.

Dn. Goclen. parte 3. controv. Log. c. 1. *Keckerm.* lib. 3. Syst. Logic. sect. 1. c. 5. pag. 419. *Et cum unus ex iis est ambiguus, plures sunt termini; propterea vitiosus est Syllogismus:*

Usus fructus est servitus.
Feudum est usus fructus. E.
Feudum est servitus.

Quia ambigua vox usus fructus facit 4. terminos. vid. D. Vult. 1. F. 2. n. 9.

Estq; terminus extremus, vel medius.

Extremus iterum major vel minor.

Major est consequens conclusionis, quod ponitur in propositione.

Minor est antecedens conclusionis, quod ponitur in assumptione.

Medius, quo mediante extremi disponuntur.

Ramo

Ramo dicitur argumentum tertium.

Reg.

Medius terminus non ingreditur conclusionem.

Quia est caussa efficiens conjunctionis extremorum conclusionis. At verò efficiens non ingreditur effectum.

Proxima Syllogismi materia est in quam proximè resolvitur, nempè antecedens & consequens.

Sicuti Syllogismi tres sunt partes, propositio, assumptio, & conclusio, sic etiam libelli: 1. narratio facti, quæ est loco propositionis. 2. caussa vel medium concludendi, quod est loco assumptionis. 3. conclusio seu petitio. vid. Schneid. in Inst. ad §. omnium. n. 106. & multis seqq. de action. *Hinc libellus dicitur Syllogismus quidam practicus & judicialis. Wesemb.* in parat. de edend. n. 3.

Antecedentis partes sunt propositio & assumptio, quæ præmissæ dicuntur.

Reg. I.

Præmissarum altera esto universalis.

Quia ex puris particularibus nihil sequitur. Nic. Vigel. in Dialect. Jur. pag 433. *Ut:*

Quædam actiones temporales rescripto Principis perpetuantur.

Quæ-

Quædam actiones famosæ temporales sunt, ut actio de dolo. E.
Actiones famosæ rescripto Principis perpetuantur.

II.

Præmissarum altera esto affirmativa.

Siquidem ex solis negativis nihil sequitur. Ut:

Homicidium est puniendum.
Furtum non est homicidium. E.
Furtum non est puniendum.

Propositio est pars prior antecedentis, quâ quæstionis saltem prædicatum cum medio termino disponitur.

Assumptio est posterior pars antecedentis, quæ è propositione assumitur.

Consequens est altera pars Syllogismi, quæ complectitur partes quæstionis, eamq; concludit. Vocatur etiam conclusio, complexio, collectio.

Reg. I.

Non sit plus in conclusione, quàm fuit in præmissis.

Nam conclusio est præmissarum effectus. At effectus nihil habet, quod à suis caussis non acceperit. Seu, nihil est in principiato, quod non actu fuerit in principiis. Scal. exerc. 307. sect. 20. *Proin non valet:*

Omne

Omne depositum est reddendum.
Arma sunt depositum. E.
Arma sunt reddenda furioso.

II.

Conclusio imitetur partem debiliorem.

Est autem debilior negans affirmante: & particularis universali. Ratio regulæ, quia conclusio est effectus præmissarum, ideò illis dignior esse nequit. Fieret autem illis dignior, si digniorem partem imitaretur. Hinc non sequitur:

Quidam contractus sunt bonæ fidei,
O. contractus sunt conventiones. E.
Omnes conventiones sunt bonæ fidei.

Cap. XI.

De Syllogismi forma.

SEquitur forma Syllogismi, quæ est certa medii termini cum extremis dispositio.

Sunt autem formæ seu figuræ Syllogismorum simplicium tres.

Prima figura est, in qua medius terminus est subjectum propositionis, & prædicatum assumptionis.

Cujus modi sunt sex; Duo universales, duo particulares, & duo proprii.

1. *Universalis affirmatus.*

Bar-

Bar *Omnis conventio eſt duorum pluriumvè in in idem placitum conſenſus.*

ba *O. contractus eſt conventio.* E.

ra. *O. contractus eſt duorum pluriumvè in idem placitum conſenſus.*

2. *Univerſalis negatus.*

Ce *Nullus contractus eſt delictum.*

la *O. emptio-venditio eſt contractus.* E.

rent. *N. emptio-venditio eſt delictum.*

3. *Particularis affirmatus.*

Da *Quicquid actionem civilem parit, civili jure eſt confirmatum.*

ri *Quædam pacta actionem civilem pariunt.* E.

i. *Q. pacta jure Civili ſunt confirmata.*

4. *Particularis negatus.*

Fe *Nulla lex naturæ eſt mutabilis.*

ri *Jus prohibens adulteria eſt lex naturæ.* E.

o. *Jus prohibens adulteria non eſt mutabile.*

5. *Proprius affirmatus.*

J. Cæſar eſt bellator ſtrenuus.

Ego ſum J. Cæſar. E.

Sum bellator ſtrenuus.

6. *Proprius negatus.*

Pompejus non vicit Cæſarem.

Tu es Pompejus.

Non igitur viciſti Cæſarem.

Reg. I.

In prima figura propositio debet esse universalis.

Quia nimirum in prima figura fit processus ab universalib. ad singularia, sive à genere ad speciem. Ideò non valet,

Quædam conventio est stricti juris,
O. contractus est conventio. Ergò
O. contractus est stricti juris.

II.

Assumptio in prima figura sit affirmans.

Hinc non sequitur:

O. conventio est factum.
Nullum delictum est conventio. E.
Nullum delictum est factum.

Secunda figura est, in qua argumentum, seu medius terminus est prædicatum in propositione, & assumptione.

Modi ejus sunt 6. Duo universales, duo particulares, & totidem proprii.

1. Universalis negatus primus.

Ces *Nullum furtum committitur sine affectu furandi.*

a *Titius rem alienam abstulit sine affectu furandi. E.*

re. *Titius non commisit furtum.*

2. Univers. negatus secundus.

Cam-

Cam *In omni emptione venditione discerni potest, uter emptor sit, uter venditor: item utrum precium, an merx.*

es *At in permutatione discerni non potest, uter emptor vel uter venditor sit, item utrum merx, an precium.* E.

tres. *Permutatio non est emptio venditio.*

3. *Particularis negatus primus.*

Fes *Nulla personalia personam egrediuntur.*

ti *Quædam privilegia personam egrediuntur.* E.

no. *Q. privilegia non sunt personalia.*

4. *Particularis negatus secundus.*

Ba *O. honestum est faciendum.*

ro *Quædam licita non sunt facienda.* E.

co. *Q. licita non sunt honesta.*

5. *Proprius negatus primus.*

Aristoteles non fuit Romanus.
Cicero fuit Romanus.
Cicero non fuit Aristoteles.

6. *Proprius negatus secundus.*

Socrates fuit deformis.
Plato non fuit deformis. E.
Plato non fuit Socrates.

Reg. I.

In secunda figura major sit universalis.

Quotirca non valet:

Quædam delicta puniuntur à magistratu.

Perjuria non puniuntur à magistratu. E.

Perjuria non sunt delictum.

II.

In secunda figura altera præmissarum sit negans.

Non igitur valet:

O. emptio-venditio est contractus.

O. depositum est contractus. E.

O. depositum est emptio venditio.

Tertia figura est, in qua medius terminus est subjectum in propositione & assumptione.

Cujus modi sunt octo: Duo universales, quatuor particulares, & duo proprii.

1. Universalis affirmatus.

Da *O. justitia est virtus.*
rap *O. justitia est habitus. E.*
ti. *Q. habitus est virtus.*

2. Univers. negatus.

Fe *N. periculum forti viro est fugiendum.*
lap *O. periculum est molestum. E.*
ton. *Q. molesta forti viro non sunt fugienda.*

3. Particularis affirmatus primus.

Di *Q. homines sunt servi.*
sa *O. homines habent communionem juris naturalis. E.*

mis.

mis. Q. habentes communionem juris naturalis, sunt servi.

4. Particul. aff. secundus.

Da O. Dialecticus benè utitur ratione.
ti Q. Jureconsultus est Dialecticus. E.
si. Q. JCtus benè utitur ratione.

5. Particularis negatus primus.

Bo Quoddam jusjurandum non est prohibitum.
car O. jusjurandum est invocatio Dei. E.
do. Q. invocatio Dei non est prohibita.

6. Partic. negatus secundus.

Fe Nulli vim vi repellentes sunt puniendi.
ri Q. vim vi repellentes sunt pauperes. E.
son. Q. pauperes non sunt puniendi.

7. Proprius affirmatus.

Petrus Ramus in laniena Parisiense miserè fuit trucidatus.
P. Ramus fuit Christianus. E.
Q. Christianus in laniena Parisiense fuit miserè trucidatus.

8. Proprius negatus.

Aristoteles non fuit Christianus.
Aristoteles fuit vir doctus. E.
Q. vir doctus non est Christianus.

Reg. I.

In tertia figura assumptio sit affirmans. Ideò non valet:

Jus naturale vim vi repellere permittit.
Jus naturale non est jus Civile. E.
Jus civile vim vi repellere non permittit.

II.

In tertia figura conclusio sit particularis.
Non valet ergò:

O. malæ fidei possessor omnes fructus consumptos, extantes & perceptos restituere tenetur.
O. m. f. possessor est homo. E.
O. homo fructus omnes extantes & perceptos restituere tenetur.

Cap. XII.

De Syllogismo simplici.

HÆc de Syllogismi membris: species ejus sunt Syllogismus simplex & compositus.

Simplex Syllogismus est, in quo prædicatum quæstionis disponitur cum medio termino in propositione, & subjectum in assumptione.

Quæstionis prædicatum hîc dicitur major terminus: quæstionis subjectum, minor terminus.

Dividiturq; secundum qualitatem & quantitatem.

Secundum qualitatem dividitur in affirmantem & negantem.

Affir-

Affirmans est, cujus omnes partes sunt affirmantes.

Negans est, cujus altera præmissarum est negans cum conclusione.

Secundum quantitatem dividitur in universalem, particularem & proprium.

Universalis, in quo utraq; præmissa est universalis.

Particularis, in quo altera tantum præmissarum est universalis.

Proprius seu specialis, in quo utraq; præmissa est specialis seu propria.

Cap. XIII.

De Syllogismo connexo.

Syllogismus compositus est, in quo tota quæstio est pars altera propositionis compositæ & affirmatæ; argumentum pars reliqua.

Estq; connexus seu conditionalis, vel disjunctus.

Connexus, cujus propositio est connexa seu conditionalis.

Dn. Philippo est hypotheticus.

Estq; duorum modorum: primus assumit antecedens, & concludit consequens.

Assumere hîc est repetere antecedens, tale, quale est in propositione; id est, affirmatum af-

firmatè, negatum negatè. Seu, valet consequentia à positione antecedentis, ad positionem consequentis. Ut:

Si filius. Ergò heres.
Atqui est filius,
Heres igitur.

Secundus modus connexi tollit consequens, ut tollat antecedens.

Tollere est specialiter contradicere. Contradicitur affirmationi negando, & negationi affirmando. Seu; Valet consequentia à remotione consequentis, ad remotionem antecedentis;

Si Principes imperii habent majestatem, Legib. sunt soluti.
Atqui legib. soluti non sunt.
Non igitur habent majestatem.

Cap. XIV.

De Syllogismo disjuncto.

D*isjunctus Syllogismus est, cujus propositio est disjunctiva.*

Idemq; dicitur disjunctivus & alternativus.

Modi ejus sunt duo: Primus tollit unum, & reliquum concludit.

Seu: à remotione unius ad remotionem alterius valet consequentia. l. hæc verba 124. de Verb. signif.

Stipu-

Stipulatio aut est juris naturalis, aut juris Civilis.

Sed juris naturalis non est.

Est igitur juris civilis.

Secundus modus assumit unum, & reliquum tollit.

Seu: à positione unius ad remotionem alterius valet consequentia. d. l. hæc verba. 124.

Aut sedet aut ambulat,
At ambulat.
Non igitur sedet.

Cap. XV. & Ultimum.

R*Eliqua est doctrina de methodo, quæ est perfecta, vel imperfecta.*

Perfecta methodus est dianoia variorum axiomatum homogeneorum pro naturæ suæ claritate præpositorum.

P. Ram. lib. 2. Dial. c. 17. *Axiomata homogenea sunt, quæ ad idem propositum seu thema explicandum pertinent, quæ debent esse affirmata, necessaria, per se reciproca, quoad ejus fieri potest. Sic omnia præcepta Arithmeticæ ad numerum: Dialecticæ ad differendum: Grammaticæ ad loquendum: Jurisprudentiæ ad æquitatem referenda sunt, ac proindè summo-*

perè cavendum, ne in Arithmetica Dialecticum: in Dialectica Physicum: in Jurisprudentia Theologica & contra tractentur. *Dixi in definitione clariora & naturâ notiora esse præmittenda. Arist.* 1. Soph. Elench. c. 1. *Zabar.* c. 17. introduct. in gradus morales, & p. 1. comitis Politici. *Ars namque naturam imitatur. Arist.* 2. Physſ. c. 2. *& sicut se res habet in esse, ita etiam in cognosci. Arist.* 2. Metaph. 2. *Naturâ autem prius in methodo dicitur, non ratione ortus vel dignitatis, sed ratione notitiæ & claritatis, V. g. generaliora sunt notiora specialioribus, quia perfectè & distinctè illa sine his cognosci possunt: at hæc sine illis non possunt. Quare definitio alicujus disciplinæ loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia prima est: distributio sequetur, quæ si multiplex fuerit, præcedet partitio integri in membra, sequetur divisio in species: partesq́ ipsæ, & species eodem ordine sunt rursus tractandæ ac definiendæ, quo distributæ sunt. Ram.* d. lib. 2. c. 18. *Atque huc pertinet* locus ab ordine Rubricarum ſeu Titulorum, *qui in dubio arguit ordinem materiarum. Everh.* hîc n. 1. *sic tutela testamentaria præfertur legitimæ, & legitima dativæ, ex ordine scil. rubricarum in Dig. Inst. & Cod. Ita quod prius est scriptum, præsumitur prius factum. Everh.* hîc n. 6. *Ex ordi-*

ordine denique præsumitur & colligitur mens & voluntas disponentis. Everh. n.7.

Modi ejus sunt duo: Syntheticus & Analyticus.

Unitatem methodi, ut fateor, ita in unitate distinctionem non nego.

Syntheticus est, cum posito subjecto adæquato progredimur ad principia, & hinc ad orta ex iis.

Talis est in disciplinis contemplativis, ut sunt Physica, & scientiæ mathematicæ.

Analyticus est, qui procedit à fine ad principia seu media.

Talis est in disciplinis practicis. Sic Ethicus à fine summo humanæ vitæ procedit ad subjectum, & hinc ad principia seu media, per quæ finis in subjectum inducitur. Huc refertur Jurisprudentia.


Methodus imperfecta, quæ à recta alicubi deflectit, & aliquid ejus occultat.

Eademq; dicitur dispositio cryptica, & methodus prudentiæ, quia pro judicio scribentis ad circumstantias se accommodat. Estq; in partium vel defectu, vel redundantia, vel ordinis inversione aliqua. Exempla suppeditant Oratores, Disputatores, Concionatores, Historici atque Poëtæ. Apud Jureconsultos quamvis ordinis necessarii conversio actum reddat nullum.

lum. l. prolatam. C. de ſentent. & interloc. omn. jud. *Everhard* hîc n. 6. *quandoque tamen in negotiis celeritatem deſiderantibus non per omnia ordinem obſervant.* c. ad noſtram. de jurejur. *ubi Innocentius Pontifex:* Undè videbitur (*ait*) ſubtiliter intuenti de ordine judiciorum procedere, ut in præmiſſis non per omnia ordo judiciarius obſervetur. *Sic quoque in notoriis, ordo eſt, ut ordo juris non ſervetur. Coler.* in præfat. proceſſ. execut. n. 22.

F I N I S.





JENÆ,

Typis & ſumpt. JOHANNIS
BEITHMANNI, Anno

1620.



